IVSTI LIPSI

DE

AMPHITHEATRO LIBER.

In quo forma ipsa Loci expressa, & ratio spectandi.

Cum æneis figuris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ,
Apud Christophorum Plantinum.
cIↃ. IↃ. LXXXIV.

ANTVERPIÆ,
Apud Bibliopolarum Plantinum.

NOBILISSIMIS

AMPLISSIMISQ. VIRIS

IANO DOVSÆ,

PAVLO BVSIO,

ABRAHAMO AB ALMONDE,

ACADEMIÆ CVRATORIBVS,

I. LIPSIVS *dedico.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OPVS hoc meum, siue opellam potius, de Amphitheatro, vobis, Viri Amplissimi, inscripsi: vt in parte aliquâ exsoluerem & laxarem vinclum istud beneficiorum, quo artè me ligastis. Debere enim largiter me vobis fateor. siue meo nomine: quod hospitem & pænè ignotum excepistis, fouistis, ornastis. siue magis publico: quòd vitam ac spiritum reddidistis optimarum artium studiis, quæ profugæ inter insana hæc

arma,apud exteros iam circumſpiciebant noui exſilij ſedem. Sed vos perculſas eas ac trementes firmaſtis: & cum multorũ admiratione, quorundam inuidiâ, in eâ regione collocaſtis quæ anteà Mercurio magis amica, quàm Mineruæ. Magna hæc res & laus, apud animos non minutos: & quæ redundet aliquãdo neceſſum eſt, non ad Belgicæ ſolùm commodum, ſed Chriſtiani huius orbis. Scilicet multum eſt in his temporum tenebris ac ruinis, lucem tamen aliquam priſcæ & ingenuæ doctrinæ retinere: ſine quâ nec memoria rerum temporumq. adſeruari, nec miteſcere iuueniles animi ſeriò poſſint, & ad humanitatem imbui ac virtutem. Vt enim fertiliſſimos agros ſilueſcere paullatim & ſentibus obſeri neceſſum ſit, ſine humanâ ſubactione aut cultu: ſic optima ingenia efferari & inhorreſcere, ſine culturâ iſtâ litterarum. Laudabiles igitur vos, qui prudenter id vi-

diſtis;

distis; animosè tentastis; feliciter perfeciſtis: vocatis & adductis in nouum hoc Athenæum viris, quorum aliqui eruditione & splendore nominis clari per Europam. In quo tam pręclaro instituto vt perseueretis, non vos hortor (scio facturos vestrâ sponte:) illud magis rogo, vt munus hoc meum, magnæ gratitudinis exiguum apud vos pignus sit. quod vt ad gloriam aliquã vestri nominis faciat, opto & vix spero: iuuentutis tamen nostræ studia adiutum eo iri, sine superbiâ confido, imò confirmo. Valete.
Nonis Ianuariis, Anni ∞. IↃ. LXXXIV.

AD LECTOREM.

CVM vniuersam rem Spectaculorum veterum illustrare statuissem, Muneris inquam vtriusque, Circi, & Scenæ; atque ad eam cogitationem parata mihi iam materia omnis & seges: valdè pro bono mihi visum, imò necessario, de Locis ipsis eorúmque formâ quædam prædici. Nam cum ratio tota ludorum innexa iis & apta sit: fit omnino, vt qui illa non capiat, istos parùm firmiter teneat, & caligans hæsitánsque nesciat etiam quæ scire se arbitratur. Itaque cum libros meos de Gladiatoribus iam emisissem, non sine cauea Senatoria & Equestris plausu; illos De Venatione in manibus haberem & perpolirem: hoc quod vides, de Amphithea-

phitheatro, prius contexui: in quo imago, facies, habitus omnis Arenæ expressus quà stilo meo, quà penicillo. Nam nec formas & imagines operum neglexi. etsi fateor, maiorem me rationem rituum duxisse, quàm Architecturæ. Illis enim hæc nostra seruiunt & prælucent, vt illos volumus scriptoribus priscis. Tamen nec Architectura spreta à me prorsus, quatenus ea quidem ad voluptatem aliquid conferre videretur siue admirationem. Sed quidquid hoc est operæ, feriatum id mihi & verè ludicrum fuisse, non nego. Vix enim duodecim dierum tota ista scriptio & meditatio est: quos lege ac more sepositos à seriis publicísque Lectionibus, transferre mihi visum ad hanc curam. Nec adfirmatione aliâ res eget. ipsum syntagma ostendet, non eâ curâ ac cultu fortasse, quo quædam è meis. Sed quid opus, aut neruos in remissionibus intendere? aut seriò tractare ludos? Mihi (licet Inuidiâ audiente & gemente hoc dicam) non ista, non alia ex Antiquitate tractare arduum: ad quæ explicanda otium fortasse aut voluntas deesse mihi poterit, nunquam facultas. Nec placeant sibi nimis, qui nescio quid

tale

tale adnotant & decerpunt per partes. Sed me amor alîus ſtudij iam incendit, & acri quodam thyrſo pectus mihi percußit alta illa Diua. Sapientiam intellego: cuius meracos puróſque fontes numquam erit vt nimis miſceam aut diluam mitioribus iſtis ſuccis. Adhibebo tamen: ſed vt luſum, non vt curam; vt acceſſionem, non vt opus. Quem eumdem animum in his talibus, mi Lector, ex animo tibi opto. Saluè.

IVSTI

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

IVSTI LIPSI

DE AMPHITHEATRO LIBRI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPVT PRIMVM.

Dialogi occasio. Florentij Laus. Urbs diruta, non diruta: & splendida eius ruina.

CVM Romæ adolescens admodum agerem, lustrandæ. & noscendæ inprimis antiquitatis: familiaritas mihi fuit sanè vtilis cum Nicolao Florentio populari nostro: viro, à quo elogium Veritas numquam spernet veræ modestiæ & doctrinæ. Sed illa, in eo statim & adspectu ipso elucebat: hæc, secreta magis & recondita, nec eruenda nisi in consuetudine aliquâ & vsu. Vt gemmarum lapidumque arcanæ vires, non nisi attritu & experiendo apparent: sic in plerisque vera eruditio, quæ interiori animo insita foras non spectat aut pendet. Alienus enimuerò hic noster ab omni ambitione siue typho, Batauâ quadam simplicitate agebat: quiq. scire ipse, quàm sciri; nosse multa, quàm à multis nosci præoptabat.

Nic. Florentij laus.

Doctrina vera, non iactabunda.

optabat. Sed cumprimis illi ſtudium & ſcientia locorum monumentorumq. veterum: quæ curiosè iam aliquot annos luſtrabat, indagabat: acri quodam & directo iudicio, noua cum priſcis, priſca cum illis componens. Haud temerè illum fugiebat, quid, non dicam in quaque parte Vrbis, ſed Italiæ, eximium fuiſſet: & ex leuibus quibuſdam errantibusque veſtigiis, mirum quàm ſagaciter perueniebat ad cubilia ipſa. Cùm hoc igitur viro & ſermo mihi tunc creber, nec infrequens ambulatio: cum ſtudio quodam Antiquitatis incenſus (cuius amor, vt cum Pindaro dicam, pupugerat mihi mentem) ſæpe & peterem & promerem aliquid ex hoc theſauro. Quod ipſum accidit die quodam æſtiuo pomeridiano, cum ego eum ſtatim à prandio (vnà enim fueramus) manu prendens, Imúſne? inquam. Quò iam? inquit ille. Solemni noſtro more, inquam, per colles iſtos ambulatum. Ille paullò adductior, At ſolem hunc non vides Lipſi? inquit. quem ſcire debes peregrino capiti Romæ non amicum. Ego cum riſu, De ſole ſecurus es, meâ quidem cauſſâ, inquam. Vetus ego illi alumnus, nec quidquam metuo à meo Phœbo. Ita mox ſumptis palliis exiuimus, & præter Vipſanij Pantheon

Sol Romanus noxius inſuetis.

Pantheon transgressi, collem Capitolinum adscendimus, descendimus: tandemque per Forum Ro. & Titi arcum siue fornicem euntes, haud procul stetimus à Principis eius *mole. Pedem enim hîc fixit Florentius, Et vísne Lipsi, inquit, dispersa in hoc campo ossa paullisper legamus magnæ matris? Romam dico. cuius reliquias & velut cineres adhuc vides, etsi crematæ non vno busto, euersæ non vno fato. Tres ad pulcherrimum hoc mundi opus euertendum dij conspirarunt, Cronus, Vulcanus, & pater ipse gentis.

*Amphitheatro Titi.

Roma sæpius euersa, non periit.

Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis
Æternum potuit hoc abolere decus.

vt antiquus quispiam poëta verè ait. Scilicet hæc ipsa ruta & cæsa spirant etiam Romam veterem, & velut scintillas emittunt prisci splendoris. Ex parietinis eccc istis & ex lapidibus imago statim ánimo oboritur vrbis, quæ vna fuit ab omni ævo, vna erit. Sed iam distinctius lustremus. Viden' tu collem illum ad lævam? Esquiliæ sunt. Radices eius? ibi Carinæ. paullò longius, Thermæ Titi. Hîc, Vicus sceleratus. Et cum diceret ille sedulò atque indicaret; ego in aliâ cogitatione defixus, oculos & mentem omnem habebam in ædificio quod

Tacita quædam maiestas ruinarũ.

Amphitheatri semiruta moles.

exaduersum. Itaque latus mihi tetigit, & Itáne aliud agis? inquit. Ignosce, inquam. Inuitos oculos meos traxit & velut fascinauit eximia illa moles. Et dic sodes, cuius hoc opus? quando? quâ fini? quâ olim formâ? Florentius renidens, Næ tu multa simul & semel petis, inquit. ac vereor, cum Plautino illo Sycophantâ, ne face & viatico nobis opus sit ad tam longæ narrationis iter. Tamen docebo te in parte. transi huc, & propius lustra.

Huc pertinet forma 1.

CAPVT II.

Ad Amphitheatri descriptionem aggressio. Primò de nominibus eius quæsitum. Cur Amphitheatrum dictum, & cur Cauea.

IAM intrauimus; & videmus ecce confusam loci faciem, & formam verè informem. Lacera omnia & dirupta, nec aliud quàm egregij operis vmbra & cadauer. Itaque cum suspirio ad Florentium, Heu quæ ista res? inquam. Manu omnia diruta, vt video, aut collapsa æuo: sine articulis vllis prisci corporis, sine membris. & quis mihi eruet ex istis verum vultum? Periti, inquit Florentius. inter quos non ego: tamen quoniam auidè aues, lineas tibi

tibi eius operis videor posse ducere, & deformare id in parte. Adiuua hoc, Florenti, inquam ego, per tuam fidem. Certè si vllum opus dignum memoriâ & notitiâ nostrâ est; videtur istud. Nec erras, inquit. Itaque cum Aristophane

*Ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ:

*A capite adusque calcem cuncta edisseram.

quod sciuero quidem ego, poteroque. Nam quædam etiam esse, in quibus hæreo & caligo, non nego. Vastum igitur hoc omne quod vides, spectaculi locus fuit & ludicræ voluptatis. *Colissæum, vt scis, hodiè dicunt: prisci Amphitheatrum, & sæpe Caueam, sæpe Arenam. Tria enim hæc nomina reperio. Amphitheatrum Græcâ voce ideò, quia gradus circùm vndique, & sedilia continenter disposita ambibant in orbem. Dio *Cassius: Θέατρον κωνηγετικὸν, ὃ καὶ Ἀμφιθέατρον, ἐκ δὲ πέριξ πανταχόθεν ἔδρας ἄνθρωπος ἔχειν, προσερρέθη· At Cauea Latinis; ab interiore hac parte quæ concaua, vt vides, & capaci quodam profundo. Quòd nomen quidem apud antiquos (liberâ rep. dico) in *theatris ferè hæsit: sed sub Principibus, cum gratia & vsus Amphitheatrorum increbuisset, bono iure migrauit ad ista. Ammianus libro XXIX. *Alter in Amphitheatrali*

*Quia Neronis cum capite Colossus in vicinia. Trina nomina eius ludicri loci.

*Lib. XLIII.

Cauea à caua dicta priscis.

*Et vix aliter apud Ciceronem ac veteres.

At nouis pro ipso Amphitheatro.

trali caueâ, cum adfuturus ſpectaculis introiret. Tertullianus contrà Marcionem: *Quid? non in omnem libidinem ebullis? non frequentas ſolemnes voluptates Circi furentis, & Caueæ ſæuientis, & ſcænæ laſciuientis?* Vbi cum fæuitiam Caueæ adtribuat, clarum eſt intellegi de Amphitheatro. Saluianus pariter: *Quidquid immoderationis in Circo, quidquid furoris in Caueis.* Iulius Firmicus: *Nati ſub ſidere Caniculæ, erunt venatores, arenarij, parabolarij, & qui ſub conſpectu populi, in Caueis, cum feris pugnent.* Prudentius:

*Funera autem ad Scænam referri non poſſunt.

*Quid puluis Caueæ ſemper * funebris, & illa*
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?

Idem iterùm de Virgine Veſtæ quæ it ad Gladiatores ſpectandos:

Inde ad cõſeſſum Caueæ pudor almus, et expers
Sanguinis it pietas.

Apuleius item apertè: *Dies ecce muneri deſtinatus aderat, & ad conſeptum Caueæ, proſequente populo, pompatico fauore deducor.* Tertullianus (ſi recta lectio eſt) Caulam etiam in libello De Spectaculis dixit, nouè magis quàm impropriè: *Ceterum qualia illa ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit? credo Circo, & vtraque Caulâ, & omni Stadio gratiora.* Vbi

Caula, pro caueâ.

câ voce

eâ voce includit etiam Theatrum, nisi si legendum Caueâ.

CAPVT III.

Arenæ nomine dictum eumdem locum. ideò quia sterni arenâ solitus. Cuius generis ea stratura? quàm varia? Plinius & Ouidius explicati. Arenarij. Tertullianus emendatus, & declaratus.

SED & Arenam dixêre vulgò, scilicet quia is locus desabulari solet & arenâ sterni in vsum pugnæ. Nam si lapide aut ruderato: in tam crebrâ effusione sanguinis, lubrico statim pauimento, quæ ratio standi aut certandi? Arenam iniecêre igitur, quæ bibula: & quam ipsam renouare & velut inarare etiam soliti per interualla ludorum. Martialis ostendit, de Leone subitò efferato:

Caussa insternendæ arenæ.

Quam per pueros quosdam, nō sine lusus specie, renouabant.

Nam duo de tenerâ iuuenilia corpora turbâ,
Sanguineam rastris quæ renouabat humum,
Sæuus & infelix furiali dente peremit.
Martia non vidit maius Arena nefas.

Et credo quidem vulgariam arenam insterni solitam: nisi quòd quidam rasuram lapidis albi destinarunt etiam huic rei, quæsitâ gratiâ candoris. Plinius libro XXXVI. *Inuenere &*

Arena à lapide abrasa.

alium

Arena à lapide abrasa.

alium vsum eius lapidis, in ramentis quoque, Circum maximum sternendi, vt sit in commendatione & candor. Nec scio an ad hunc morem, mentem & calamum Ouidius flexerit, cum de Gladiatorum spectaculo scribit:

Altera tresq; super rasâ celebrantur arenâ.

Rasam enim arenam ingerunt hîc consensu fidi & prisci libri, nec caussam adiectionis aliam facilè inuenio ab istâ. At Principes interdum, arenæ loco, instrauere minium aut chrysocollam. Plinius: *Visumq; est Neronis Principis spectaculis Arenam Circi chrysocollâ spargi, cum ipse concolori panno aurigaturus esset.* Suetonius de Caio: *Edidit & Circenses quosdam præcipuos, minio & chrysocolla constrato Circo.* Sed hæc monstrorum aliquot dementia. quibus satis non fuit ostentare opes suas in spectaculis: voluerunt & calcare. Ceterum Editorum vulgus contenti, vt dixi, arenâ. Inde ea vox passim pro certamine amphitheatrali, proque ipso loco. Tacitus: *Spectacula gladiatorum idem ille annus habuit, pari magnificentia ac priora: sed fœminarum Senatorúmque illustrium plures per Arenam fœdati sunt.* Iuuenalis:

E minio etiam, aut chrysocolla.

Arena, pro certamine & loco.

——*& municipalis Arena*
Perpetui comites.

Sueto-

Suetonius: *Equestrem ordinem vt Scæna Arenaq; deuotum adsiduè proscidit.* Horatius:

Ne populum extremâ toties exoret Arenâ.

Capitolinus: *Multos qui secum in Arenâ pugnassent, se Prætores videre.* In edicto Ædilium: *Quiue in Arenam, depugnandi caussâ, ad bestias intromissus fuerit.* Sed nónne & Circus & Stadium, inquies, arenis strata? non & illa igitur in communionem admissa huius vocis? Strata: sed non admissa. caue credas. quotiensque Damnari in Arenam, Arenâ mitti, taliaque in Iurisconsultis siue Historicis legis; cautè accipias de ferro tantùm, aut cultro. id est, gladiatoribus, aut venatione. & magis pro istâ. Imperator quidem clarè discriminat ecce à Circo, lege VIII. C. De repudiis: *Nec vllo modo vxorem expellet nisi adulteram, vel Circensibus, vel Theatralibus, vel* * *Arenarum spectaculis se prohibente gaudentem.* In quo vsum quemdam sermonis obtinuisse potius, quàm rationem non infitebor. Ab hac stirpe Arenarij, qui in arenâ depugnant. Symmachus: *Dies muneris nostri tempori admouetur: cui largitas candidati sola non sufficit, si lautioribus Arenariis deseratur.* Arcadius Iurisconsultus: *Si ea rei conditio sit, vbi Arenarium testem, vel similem, admittere*

An eâ voce & Circus veniat?

Non videri.

* Id est, vtriusq. muneris.

Arenarij qui dicti.

cogimur. id est, Arenâ alterutrâ pollutum: ideoque infamem. Tertullianus: *Scænicos, Xysticos, Arenarios illos amentissimos, quibus* viri animas, fœmina autem illis etiam corpora sua substernunt*. Ita scribendus indubiè is locus: & significat pius & seuerus noster Censor, insaniisse in hoc genus hominum non vnam Faustinam. Nimirum, vt poëta ait, *--ferrum est quod amant*: imò telum. Nec alia, quod sciam, loci huius nomina. Nam eiusdem Tertulliani illud inuolutum, libello de Spectaculis, cap. XII. emendatione verâ euoluo. Legunt vulgò: *Quid ego de horrido loco dicam quem nec periuria sustinent? Pluribus enim & asperioribus nominibus Amphitheatrum consecratur, quàm Capitolium omnium dæmonum templum est*. Frustrà quæras hæc nomina. Scribo igitur, & distinguo: *asperioribus numinibus Amphitheatrum consecratur, quàm Capitolium. Omnium dæmonum templum est*.

*Vulgò scribunt, *viris animas, fœminis aut illis.*

Tertullianus declaratus.

Et correctus.

CAPVT

CAPVT IV.

Ex occasione, de diis quibus Amphitheatrum sacratur. Dianæ inprimis. Ioui Latiari, siue Diti. item Saturno. Ara Iouis in Arenâ. Mactatio ad eam stata vnius è bestiariis. Tertulliano ac Minutio lux.

QVOD vt tibi liqueat: non defugiam breuiter ea commemorare, quoniam id quoque ad lucem huius rei. Dedicabant inprimis locum & ludum hunc Dianæ. Tertullianus: *Martem & Dianam vtriusque ludi* (Gladiatorium & Venatorium designat) *præsidem noiimus*. Cassiodorus, magis distinctè, sacrat Dianæ Tauricæ. Nec ab aliâ causâ, Dianam pro ipsa Venatione amphitheatrali Martialis posuit:

Diana, pro ipsa Venatione amphitheatrica.

Inter Cæsareæ discrimina sæua Dianæ.

Sed & Ioui sacrabant, siue Latiari, siue Stygio. De illo, Tertullianus Apologetico: *Ecce in illa religiosissima Æneadarum vrbe est Iupiter quidam, quem ludis suis humano sanguine proluunt. Sed bestiariorum, inquitis. Opinor hoc minus, quàm hominum.* Idem scriptor, aduersus Gnosticos: *Sed enim Scytharum Dianam, Gallorum Mercurium, Afrorum Saturnium victimâ*

Iupiter Latiaris.

humanâ placari apud ſæculum licuit. Et Latio ad hodiernum Ioui mediâ in vrbe humanus ſanguis inguſtatur.* Minutius Felix: *Iupiter cum Hammon dicitur, habet cornua: & cum Capitolinus, tunc gerit fulmina: & cum Latiaris, cruore perfunditur.* Stygium ſiue infernalem interpretari eum videtur Prudentius:

Quid puluis Caucæ ſemper funebris? & illa
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?
Hæ ſunt delitiæ IOVIS INFERNALIS, *in iſtis*
Arbiter obſcuri placidus requieſcit Auerni.

Et aram imò Ditis in Amphitheatro poſitam agnoſcere, quæ ſanguine hoc perfuſa.

Funditur humanus Latiari, in munere ſanguis;*
Conſeſſuſq́ ille ſpectantum ſoluit ad ARAM
PLVTONIS *fera vota ſui. quid ſanctius* ARA
Quæ bibit egeſtum per myſtica tela cruorem?

Quinimò ex Minutio colligas, ſolemne quoddam ibi hominis ſacrificium fuiſſe, velut ad committendos ludos. Ait: *Hodieq́ à Romanis Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxij hominis ſanguine ſaginatur.* Mali, inquit, & noxij hominis. id eſt, Beſtiarij. Itaque labor vt in Tertulliani loco, quem primitus adtuli, cum melioribus libris legam: *Sed beſtiarij, inquitis.*

*Opinor

*Ideò, *mediâ*, quia Titi Amphitheatrum in vrbe mediâ. vt infrà doceo.

Siue Stygius.

*Ita diſtinguo & capio, non vt munus Latiare appellet: ſed vt Ioui Latiari fuſum ſanguinem in munere velit.

Mactatio horrēda, nec Romanorū cultu digna.

Tertulliani correctio.

Opinor hoc minus, quàm hominis. Sed præter hos deos, Saturnus etiam in partem venit huius tutelæ. Lactantius ita adſerit, ex ſententia Sinnij Capitonis: *Venationes & quæ vocantur Munera, Saturno adtributa ſunt: ludi ſcænici, Libero: Circenſes, Neptuno.*

CAPVT V.

Quando prima Amphitheatra cœpêre. videri ſerò irrepſiſſe: idq. ſtatim poſt Venationem. Sed lignea primò fuiſſe. mox è lapide, Statilij Tauri. Auguſtum deditum Venationibus. Dio correctus. Antiquariorum error in loco Tauriani Amphitheatri.

DE impiâ vanitate, ſatis. ad locum deſcribendum redeo: cuius primum ortum & quaſi natalem diu quæſiui fruſtrà. Non enim magis clarum, quando Amphitheatra hæc inſtituta, quàm quando Venatio ipſa. Quam poſteriorem Gladiatoribus eſſe, & in Circi ſede diu hæſiſſe: inducor non vanis * coniecturis. Nata tamen Amphitheatra, niſi fallor, haud diu ante tempora reip. deſidentis. & quidem temporanea primùm, & è ligno. Ita Curionem (illum Tribunicium dico, qui tuba belli ciuilis)

Ortus Amphitheatrorum non liquidus.

* Quas promo lib. 1. De Venat.

Curionis versatilis moles.

ciuilis) ligneam molem exstruxisse, quæ deducta, duo Theatra redderet; iterumque Amphitheatrum vnum, conducta, Plinius refert libro XXXVI. Et in Dione lego, Theatrum quoddam è ligno exstructum, corruisse cum multorum clade. Verba enim eius sic rescribam, libro XXXVII. Καί τι καὶ θέατρον πρὸς πανήγυρίν τινα ἐκ ξυλῶν ᾠκοδομημένον ἀνετράπη, καὶ ἄνθρωποι παμπληθεῖς ἀπώλοντο. non vt vulgò, ἐκ Σύρων. ex quo interpres nescio quid perplexi expedit siue impedit potius, *ad ludos de Syris*. Sanè valdè recepta & crebra, Spectacula hæc lignea. quod Vitruuius etiam suggerit, libro V. *Dicet aliquis fortè, multa theatra Romæ facta quotannis, nec vllam rationem harum rerum in his fuisse. sed errabit in eo, quòd omnia Publica* LIGNEA *theatra tabulationes habent complures, quas necesse est sonare.* Et Cæsar ipse Iulius, iam Dictator, Amphitheatrum ligneum exstruxit in campo Martis: quod Dio Cassius adsignificare videtur fuisse inuenti noui. Libro XLIII. πολλὰς, inquit, καὶ παντοδαπὰς ἀγῶνας ἔθηκε, θέατρόν τι Κωνσεπικὸν ἐκξυλώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον (ἐκ γὰρ πέρυξ παντοχόθεν ἕδρας ἄνθρωπος ἔχειν) προσερρέθη. Dixi ligneum, quia Dio verbo vtitur ἐκξυλώσας: & quia posteà memoria eius nulla.

Coniectura in Dione.

Lignea theatra & amphitheatra crebra.

Iulius Cæsar exstruxit.

At sub

At sub Augusto, & Venatio valdè iam increbuit, & increuit eius dignitas. Siue vnà cum opibus augescente luxu: siue potius, quia ipse Princeps valdè in hunc ludum pronus. Victor de eo: *Quódque est læti vel amœni animi, oblectabatur omni genere spectaculorum*, PRÆCIPVE FERARVM *incognitâ specie & infinito numero*. Et ipse Augustus in lapide Ancyrano fatetur, Venationes se dedisse, QVIBVS. CONFECTA. SVNT. BESTIARVM. CIRCITER. TRIVM. MILLIVM. ET. QVINGENTA. Itaque statim Venationi tunc reperta propria & mansura domus. Amphitheatrum* exstructum è lapide, Augusti suasu, Statilij Tauri opibus & sumptu, in campo Martio. De quo Dio libro LI. ὁ Ταῦρος Στατίλιος θέατρόν τι ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ Κωνσεπικὸν λίθινον καὶ ἐξεποίησε τοῖς ἑαυτοῦ τέλεσι καὶ κατέρωσε. id est: *Statilius Taurus in campo Martio theatrum quoddam Venatoriüm, lapideum, & struxit suis impensis, & dedicauit*. Ait Dio disertè ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ.

*Antiquarij igitur nostri quomodo non errant, qui locant id in monte Cœlio? Præsertim cum & Victor in descriptione summariâ vrbis, pariter ponat in regione IX. Circi Flaminij: sub quâ Martius campus. Hoc solum primumq. lapi-

Augustus fautor Venationi cruentæ.

Quot feras dederit, suis muneribus.

*Anno vrbis DCCXXV. Tauri lapideum amphitheatrũ.

*Martianus, aliique. Archæologi nostri, hic archæi.

lapideum Amphitheatrum Romæ fuit, ad tempora Vespasiani. Nam quod Caligula struere cœperat apud Septa, Claudius omitti voluit, Suetonio narrante in Calig. cap. XXI. Et quod Nero posteà magnificum in campo Martio erexit, fuit saltem è ligno. De quo Tacitus libro XIII. Annal. & Suetonius in Ner. cap. XII. Fateor & Castrense quoddam Amphitheatrum fuisse, Regione* Esquiliis: quod P. Victor commemorat: sed cuius structor mihi irrepertus. nisi si is Tiberius Imp. fuit, qui idem struxit & Castra. Pompeij Amphitheatrum nullum: nec Plinius tibi imponat libro XXXVI. cap. XV. vbi, *Pompeij Amphitheatri*, aperto librariorum errore leges, pro, *Pompeiani theatri*. Quod non monerem, nisi præteritum etiam Hermolao.

Caligulæ imperfectum spectaculũ.

Neronis itẽ non diuturnum.

*Castrense Amphitheatrum, cuius ruinæ hodiè Romæ.

Correctus leuiter Plinius.

CAPVT VI.

Tauri amphitheatrum exustum, & reparatum. Aliud maius à Vespasiano structum. vrbe veteri mediâ. Suetonius correctus. Fortasse & Victor. Titus dedicauit id opus. posteà collapsum, & sæpe instauratum.

STATILII ergo illud in multâ famâ, & vsu: donec ambustum sub Nerone. Xiphilinus admonuit, vbi de magno illo incendio: τό τε Παλάτιον

Παλάτιον τὸ ὄρος σύμπαν, καὶ τὸ θέατρον & Ταύρου ἐναύθη. Et quanquam reſtitutum poſteà: (Victor id ſuadet, qui ponit inter opera, quæ æuum ferebant ſuo æuo:) tamen quia incendio illo informius redditum & infirmius, occaſio data Veſpaſiano & cupiditas ſtruendi noui. Struxit, & quidem vt Suetonius ait, in mediâ vrbe: hoc ipſum, Lipſi, quod inſiſtimus, quod manu oculisque tangimus: & quod iure miremur iniuriis reſtitiſſe tot annorum, tot bellorum. Ego interrumpens; Sermonis mihi venia ſit, inquam. Hoc illud, ais, quod vrbe mediâ? Valdè erras. Oculis hunc vrbis ambitum, ſiue perticâ metire: à latere propius aberit, quàm ab vmbilico. Florentius, Pomœrium te decipit adoleſcens, inquit, nouæ vrbis: quod ab *Aureliano, & poſt illum eſt. At veterem finitionem & limitem ſi inſpicis: nihil verius Suetonij notâ. Cuius ipſa verba referre mihi pretium, vt emendem. In Veſp. cap. IX. *Fecit Amphitheatrum vrbe mediâ, vti deſtinaſſe comperat Auguſtum. Ampliſſimos ordines & exhauſtos cæde variâ & contaminatos veteri negligentiâ, purgauit ſuppleuítque.* Scribo & interpungo: *ampliſſimum. Ordines.* Amphitheatro enim data laus & titulus, Ampliſſimi: non Ordi-

Cauſſa noui Amphitheatri.

Quod vrbe mediâ Veſpaſianus cœpit.

*Qui campũ Martium incluſit.

Labes elota in Suetonij verbis.

Solus Senatus, ordo amplissimus.

nibus. è quibus soli Senatui conuenire eum scio, nec tributum Equiti vnquàm. Struxit autem Vespasianus in consulatu suo octauo: id est, vix biennio, ante vitæ finem. Inducor à Nummo, cuius inscriptio: IMP. CÆSAR. VESPASIAN. AVG. COS. VIII. P. P. & parte alterâ, expressa hæc Amphitheatri figura. Itaque cœpit opus ipse, non absoluit; struxit, non exstruxit. At Titus filius summam manum imposuit, idemque dedicauit. Duorum ergo Principum opus: ideoque non malè Sex. Rufus qui ambiguè inscripsit, *Flauij Amphitheatrum.* etsi fama & vulgus Tito magis adiudicarit: siue fauore quodam in illum, siue potius ex Romano ritu, quo receptum opera censeri à dedicãte. Non satis consideratè igitur Eutropius & Cassiodorus, qui feciſſe Titum id autumant: magis Aurelius Victor, qui perfeciſſe. *Biennio post*, inquit, *ac menses ferè nouem, Amphitheatri perfecto opere, lautúsque veneno interiit.* Vbi Lauti vox meis naribus parum elauta. quam enim habet sententiam? scribamque libens, *Amphitheatri perfecto opere, Lautibúsque.* vel, *Lautiísque.* Censeo enim duo opera commemorari ab eo Titi, Amphitheatrum & Thermas. Quas infrequentiori nomine

Quando Vespasianus cœperit.

Titus id absoluit.

Victoris parum clara aut certa lectio.

Lautus

Lautus adpellat: vti Festus Lautulas, *Loca vbi lauandi vsum exercebant*. Durum hoc mihi ipsi videretur; nisi Victorem cogitarem, & reliquam eius, adfectatæ nouitatis, phrasim. Atque hi duo soli Principes fecêre; alij refecêre, cum casu aliquo læsum, aut igne. Inter eos M. Antoninus Pius, vt refert Capitolinus: *Opera eius*, inquit, *Romæ hæc exstant. Templum Hadriani, Græcostasium post incendium restitutum, instauratum Amphitheatrum*. Item Eligabalus, Lampridij testimonio: *Amphitheatrum ab eo instauratum post exustionem*. Denique Senatus ipse eam tuitionem suscepit, sub Gordianis. Capitolinus: *Quid enim opus est de restitutione templorum, de* thermis Titianis, de exædificatione Amphitheatri agere*? Ita multorum curâ, & Genio quodam Perennitatis, peruenire tanta machina potuit ad hoc æui.

Durus ipse, & ferrei styli scriptor.

Multi refecerunt Amphitheatrũ.

*Quę nescio an in Agellio restituendæ sint, lib. III. cap. 1. *Apud balneas Titias*. non autem *sitias*, vt libri. Nec tamen adfirmo.

CAPVT VII.

Communis Amphitheatri Titiani forma. Altitudo, & capacitas eius. Laus & præconia. Denique vbi situm. Martialis explicatus.

VERE enim grandis. Altitudinem hanc vides? nunc quoque miranda est: etsi multum à vertice eius corruit, multum à pedibus

Altitudo Amphitheatri.

*Nam mole & æuo, magna hæc pŏdera clarè desident, terrâ cedente.

** subsedit.* Ammianus de eâ: *Amphitheatri moles solidata lapidis Tyburtini compage, ad cuius* SVMMITATEM ÆGRE VISIO HVMANA CONSCENDIT. Vides hunc orbem? is quoque capax: & supra tuam fidem. P. Victor: *Amphitheatrum*, inquit, *quod capit loca* LXXXVII. ∝. Et de gradibus tantùm intellegit, credo: in quorum puluillis sedisse commodè vult octoginta septem millia hominum. At in ambitu illo superiore & circumiectis porticuum Aulis, non minus item spectarunt quàm dena aut duodena millia: siue stantes, siue in allatis cathedris sedentes. Iure ergo molem hanc admiratus Cassiodorus, in hoc eulogium erupit: *Hoc Titi potentia Principalis, diuitiarum profuso flumine, cogitauit ædificium fieri, vnde* CAPVT VRBIVM *potuisset.* Et Martialis ante opera omnia orbis ponit, historicâ non poëtica fide:

Adde aggestum ruinarum.

Capaciras caueæ gradilis.

Ambitiosa satis laus, à Cassiodoro.

A Martiali item.

Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum præ cunctis fama loquatur opus.

Intellegit enim hoc Titianum: nec ad Domitianum illa, aut de Domitiano, vt alucinatur interpretum vulgus. Doctorum Curia mecum scit, non ista solùm, sed totum Epigrammatum primum libellum in Titum conuenire & eius ludos,

ludos: quos in dedicatione huius Amphitheatri exhibuit per dies pænè *centum. Idem poëta, venerabilem molem appellat: *Xiphilinus auctor.

Hîc vbi conſpicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, ſtagna Neronis erant.

& ſimul locum præit, in quo hoc opus deſtitutum. qui pars fuit Neronianæ domus. Sub has laudes exclamaui ego, Iam ardeo Florenti, ardeo. reſtingue hunc ignem: & ſigillatim mihi explica veterem germanamq. faciem huius loci. Florentius, Non inuitus, inquit. ſcio enim (præter ingenuam delectationem, quæ hîc adiuncta) nihil magis facere ad illuſtrandam rem omnem ſpectaculorum. Quorum cum tam crebra mentio in omni genere ſcriptorum: cur fugiam tenebras tuas pellere exigui ſermonis face? Audi igitur. deſcribam tibi omnem interiorem hanc molem, imò depingam: & quidem, quò magis capias, per partes. Benè enim olim Corynna ad Pindarum: **Manu ſerendum eſſe, non ſacco toto.*

* τῇ χρὴ δὲ οὐ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλακῷ.

CAPVT VIII.

Ingreſſio in particularem Amphitheatri deſcriptionem. Primùm de forma eius: quæ Oualis oſtenſa. Calpurnius & Dio explicati. De ſolo Arenæ: in quo cloacæ ſiue ſpecus. & cui rei? Item de portulis.

SED víſne admoueamus nos paullùm ad inferiorem hunc parietem, vbi vmbra? Imò ſedeamus etiam, ſi ita viſum, inquam, in graduum his fragmentis. Simulque ſedi ego. & ridens, ad Florentium, Quis ſcit, inquam, ſi locum nunc non premam magnæ alicuius vmbræ? Florentius ſe quoque iam collocans, Id quidem facile, imò neceſſum eſt, inquit. Nam ad podium ſedemus, & in orcheſtrâ. heu, quot hîc olim Senatores? Sed ſpecta.

Arenæ huius primùm, ſiue Caueæ totius forma, non rotunda & orbicularis prorſum eſt, vt oculi tibi poſſint imponere: ſed porrecta magis paulùm, & oblonga. Dimenſio id adprobat: ratio ipſa operis: quia Amphitheatrum iunctum & factum ex duobus theatris, reiectâ ſcænâ. At Theatrum non iuſti hemicycli formâ, ſed amplius diametri quartâ parte fuit: vti etiamnunc oſtendit figura reliqua

Ratio fabricandi Amphitheatri.

Theatri ipſius quæ forma.

Theatri

Theatri Marcellæi. Ex integro enim circuli ambitu, quartam partem si abscindis: quod maius eius reliquum est, scito Theatrum id fuisse. Atqui ex iis, duo si iungis (ita tamen vt flexas lineas circà abscisionem, dirigas, vel potius extrà leuiter flectas) Amphitheatrum habebis. Ad compositionem hanc & figuram Cassiodorus prælucet: *Cum Theatrum*, inquit, *quod est hemisphærium, Græcè dicatur: Amphitheatrum quasi in vnum iuncta duo*Visoria, rectè constat esse nominatum.* Item Isidorus: *Amphitheatrum dictum, quod ex duobus theatris sit factum. Nam Amphitheatrum rotundum est*, (non id quidem planè verum) *Theatrum verò ex medio Amphitheatro est, semicirculi figuram habens.* Ouo aptissimè comparat idem Cassiodorus: *Oui speciem*, inquit, *eius arena concludens, vt concurrentibus aptum daretur spatium, & spectantes omnia facilius viderent: dum quadam* PROLIXA ROTVNDITAS *vniuersa colligeret.* Itemque Calpurnius in Bucolico, de Venatione Carini:

Et geminis medium se molibus alligat ouum.

Nam geminas moles, duo theatra intellegit: eaque alligari vult in ouum. Qui aliter explicant; circumludunt sententiam poëtæ, non tangunt.

Duo theatra iuncta, Amphitheatrũ exhibent.

*Ita vertit Theatra. nec impropriè aut durè.

Oui formã hæc loca.

Calpurnius illustratus.

gunt. Idem cum valle comparat, quæ cincta vndique ſupino monte.

Amphitheatrum valli cinctæ in orbem montibus comparatum.

Qualiter hæc patulum vallis cõtendit in orbem,
Et ſinuata latus, reſupinis vndique ſiluis,
Inter continuos curuatur concaua montes:
Sic tibi planiciem curuæ ſinus ambit Arenæ.

Nec verſibus iis aliâ luce opus, niſi ſi apud elucum. Dio Caſſius idem voluit, cum montem quendam cum Amphitheatro coniponit: ὥσε, inquit, Κυνηγετικῷ θεάτρῳ τὸ ὄρος σύμπαν, ὡς μικρὰ μεγάλοις εἰκάσαι, ἐοικέναι. Habes vniuerſi huius caui formam; nunc aream vide. Ordiar enim cum architectis ab imo ſolo. Ea pura, ſine ſubſtructionibus aut ædificiis, libera tota ad curſum ferarum & ad pugnam. Excipio quod in eâ alibi (partem enim non deſigno) Ara fuit è lapide: illa dico cruda Ara, quæ ſacra Ioui Latiari. Prudentius id te docuit: ſi verſus eius audiſti non iacenti aure. Iam ſub ipſâ areâ, cloacæ. Ita credere me iubet* Andreas Fuluius: qui magnam etiam partem ædificij tolerari ab iis vult & ſuſtineri. An ipſe, an alius viderit, neſcio: ſi vera traditio; ambigam, fuerintne reipſa cloacæ ad exſugendum educendumque humorem illum* ſtagnorum, prouidè ſtructæ: an potius cameræ quædam & ſpecus ſubterranei, ad

Arenæ area tota libera.

Niſi quod Ara in ea Ioui.

Cloacæ ſubterraneæ.

* Lib. 1. De mirabilibus Vrbis.

Ad quem vſum eæ fuerint.

*Nam in ſtagnis Neronis ſtructum Amphitheatrũ.

nei, ad cuſtodiam & receptum ferarum. quas tamen illi indiligenter cloacas cenſuerunt. Siue etiam ad vſum aquarum, quas in Arenam occultè & ſubitò inducebant atque educebant, ad Naumachias. Certè cum ferina magna vis cottidie in Amphitheatrum inducere-tur: quæri dignum eſt, quo loco eæ habitæ aut ſeruatæ. Non enim omnes ſimul emiſſæ. Si in ipſâ areâ vſpiam: artarint locum. ſi extrà: quomodo eæ ſtatim perductæ, aut quî ad manum? Mea quidem opinio ſit, partim ſubterraneos cauos fuiſſe, in quîs reconderentur ſub ipſos ludos: partim depoſitas eas in caueis ſub interiore iſtâ porticu, è quâ portulæ & aditus plures pertinent in Arenam. Non tam clarè eas portulas hîc vides (omnia enim hæc ruinis aggeſta & obruta) ſed Veronæ clariſſimè: vbi vtrimque * octo, niſi fallor, ſub ipſo iſto podij muro. At non eæ certè ad ſpectantium vſum: quia in Arenam tantùm conducunt, non ad ſubſellia aut gradus.

Feræ quomodo ſub ipſam pugnam adſeruatæ.

Portulæ in imo muro.

*Duæ enim aliæ aduerſæ inter ſe, ſed gradiores & veræ portæ.

CAPVT IX.

De Specubus ſubterraneis, amplius. item de Caueis in Amphitheatris. Liuij defectus aut expletus, aut ſententia eruta. portæ in caueis, & Plauto lux. Emiſſio ferarum, & immiſſio.

ET de ſpecubus quidem ſiue cryptis, valdè ſententiam meam iuuat Cyriacus Anconitanus qui maiorum æuo Itinerarium ſcripſit. In quo de Amphitheatro Veronenſi, ſic tradit: *Et nunc conſpicitur locus rotundus Arenæ, per totum magnis ſaxis vndique ſtructus, & vt ita dicam perſilatus. cum intus* CVBATIS *&* ANTRIS *multiformiter redimitus ſit.* Sicut de Caueis, Liuius libro XLI. loco prorſus quidem fracto & mutilo, ſed ex quo tamen non obſcurè elicio quod facit iſtuc. Ait de Cenſoribus, locaſſe eos faciendos *carceres in Circo, & oua ad notas curriculis numerandas, & *dam, & metas trans* &* CAVEAS FERREAS *pe* intromitterentur** In Circo, vt ſcimus, olim Venatio exhibita, antè Amphitheatra. itaque huic fini ait Liuius caueas ferreas exſtructas, per quas beſtiæ (ita enim ſententiam fuiſſe ſuſpicor, ſi non verba) intromitterentur in Arenam.

Caueæ primæ è ferro, quando?

Liuij fracta verba, ad eam rem.

nam. Nec de aliis caueis Statius 11. Silu. in Leone manſueto: Statius explicatus.

——ſtat cardine aperto
Infelix cauea, & clauſis circum vndiq. portis
Hoc licuiſſe nefas pauidi timuere Leones.

Vbi nota mihi & Portas. quæ vel Caucarum ſunt: vel potius iſtæ Amphitheatrales, de quibus diſſero. Certè apud Plautum etiam Portæ in Circo ad beſtias emittendas, in Perſa: Portæ in caueis. Plautus explicatus.

Vbi quid credideris, citius extemplo à foro
Fugiunt, quàm ex portâ ludis cũ emiſſu'ſt lepus.

Quem locum totum ſilentio premit vber alioqui interpres: qui (fatendum eſt) non lucem, ſed vmbram ſæpe facit noſtro Vmbro. Oſtia videtur Varro adpellaſſe, de Re ruſt. *Oſtium habere debet humile & anguſtum, & potiſſimum eius generis quod cochleam appellant. vt ſolet eſſe in caueâ, in quâ* (verius fortaſſe *è quâ*: non enim certè in ipſâ caueâ pugnabant. niſi ſi Caueam capit, pro Amphitheatro) *tauri pugnare ſolent.* Atque ex his caueis cum impetu quodam emittebantur in Arenam. Vopiſcus in Probo: *Neque erat beſtiarum impetus ille, qui eſſe caueis egredientibus ſolet.* ita enim verè & acutè emendauit olim laudatiſſimus ille Faber. Capitolinus in Gallienis: *Cum quidam* Leuiter Varro correctus. Emittere feras.

gemmas vitreas pro veris vendidisset vxori eius, surripi quasi ad leonem venditorem iussit. deinde cauea caponem emitti. Emittebantur ergo Caueis, iterumque in eas immittebantur post pugnam. Seneca de Ira: *Curriculi rotarumque versata facies leonem redigit in caueam.* Sed & portulas easdem ad hunc vsum accommodare Vopiscus videtur, qui Aditus appellat. In Probo: *Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri.*

Item immittere.

CAPVT X.

Aliter atque aliter solere ornari hanc Arenam. in modum siluæ, in modum maris. Antra pro caueis: interdum Naues. Vopiscus, Apuleius, Calpurnius emendati.

ATQVE hæc solens & vulgata Arenæ facies: cui non nego comptum aliquem nouitium sæpe additum, & colorum quosdam fucos. Varia enim cottidie ab ambitiosis Editoribus excogitabantur, vt studia spectantium allicerent lenocinio quodam nouitatis. Ita fuêre, qui arboribus hoc planum consererent, & Arenam totam verterent in siluam. scilicet vt viuam imaginem exhiberent veræ germanæq. Vena-

Ambitiosa editorum inuenta.

Venationis. Audax inuentum. & quod non melius tibi expreſſerim, quàm ipſis Vopiſci verbis, in Probo: *Venationem ampliſsimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem ſpectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulſæ, connexis longè latéque trabibus adfixæ ſunt. terra deinde ſuperiecta: totúſque Circus ad ſiluæ conſitus ſpeciem, gratiam nobis viroris obtulit.* In qua extremâ clauſulâ cenſeo legas, *gratiam noui viroris.* Quomodo enim, *nobis*? nec Vopiſcus ipſe certè inter ſpectatores fuiſſe ſignificat: quod abnuit ætas. Neque tamen gratia aut laus huius inuenti penes Probum: reperio Gordianum iam antè factitaſſe idem, etiam priuatum. Capitolinum non aliter accipio, vbi de magnificis eius muneribus in Quæſturâ: *Feras Libycas vno die centum exhibuit, vrſos vno die mille. Exſtat ſilua eius memorabilis, quæ* picta eſt in domo roſtrata Cn. Pompeij, quæ ipſius & patris eius & proaui fuit.* Imò æmulabantur id iam in prouinciis: atq. Apuleius in muneris Corinthiaci apparatu deſcribit. *Erat*, inquit, *mons ligneus adinſtar inclytì montis illius quem vates Homerus Idæum cecinit, ſublimi inſtructus tabulâ*, (liber ſcriptus quem à Giſelino meo ſum nactus,

Arbores in arenam illatæ.

Vopiſci correctio.

Capitolinus explicatus.

*Munera enim pingi ſolere, docui lib. 11. Satur.

Apuleius correctus.

instructus fabricâ, rectius refert) *consitus viretis & VIVIS ARBORIBVS, summo cacumine de manibus fabri fonte manante fluuiales aquas eliquans.* Nec in solo solùm hæc variatio, sed in Caueis ipsis. quarum loco inuenerunt antra quædam coëuntia & deëuntia, quæ velut è terrâ emitterent subitò feras. Calpurnius hoc voluit, cum in Carini Venatione timidè miratur:

Ah miseri, quoties nos descendentis arenæ
Vidimus in partes? ruptaq; voragine terra
Emersisse feras? & iisdem sæpe latebris
Aurea cum croceo creuerunt arbuta libro.

Calpurnij emendatio.

Etsi legi ibi malim, *discedentis arenæ.* vti & in Plinij de Curionis Amphitheatro, *discedentibus tabulis.* Intellegit enim, arte quadam & machinis, antra illa, velut hiatu terræ, & aperta celeriter & operta: iterumque arbutis & virgultis tanquam crescentibus inducta. Quæ ipsa decôra fuisse fatendum est, & blandientia sensibus imitatione quadam naturæ. At illud iam improbi acuminis, & nescias an exemplo quodam à sacrâ Noachi arcâ. quod nauim ædificare grandem aliquam solēt in ipsâ Arenâ, quæ solutilis esset, & subito luxata emitteret omne genus ferarum pro arbitrio magistri temperantis. Dio id scribit & narrat vbertim in Nerone:

Nauis ad vsum caueæ.

vult

vult etiam exemplum oblatum sceleſtæ illius nauis quâ matrem necaret, ab hac Amphitheatrali. Verba eius commemini: ἐπεὶ δὲ καὶ ἐν τῷ φανερῶς οἷόν τε ἔργον, καὶ κρύφα διὰ φαρμάκων οὐκ εἶχον αὐτὴν ἀνελεῖν, ναῦν ἰδόντες ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ διαλυομένην τε αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς, καί τινα θηρία ἀφιεῖσαν, καὶ σωισαμένην αὖ πάλιν, ὥστε καὶ ἐρρωῶσθαι, τοιαύτην ἑτέραν ταχέως ἐνδυπηγήσαντο. id est: *Et quoniam eam eadem palàm non audebant, nec venenis clàm patrare facilè id possent: nauim quampiam in Amphitheatro conspicientes ita factam vt sponte solueretur, & belluis quibusdam emissis, rursus compingeretur & rediret in priorem statum, visum iis huic similem ædificare.* Neronis parricidium, quo exemplo cœptũ.

Nec minus clarè in Seuero: τὸ δὲ δεξάμενόν ἁπάσης τὸ ἐν τῷ θεάτρῳ εἰς πλοίου σχῆμα καταπυραυθείσης, ὡς τετρακόσια θηρία καὶ λεξάθις καὶ ἀφεῖναι ἀθρόως, ἔπειτα ἐξαίφνης διαλυθείσης ἀνέθορον ἄρκτοι, λέαιναι, πάνθηρες, λέοντες, στρουθοὶ, ὄναγροι, βίσωνες, ὥστε ἑπτακόσια τὰ πάντα καὶ θηρία καὶ βοτὰ ὁμοῦ καὶ διαθέοντα ὀφθῆναι καὶ σφαγιῶναι. id est: *Receptaculum autem omnium ferarum in Amphitheatro exstructum erat instar nauis: quæ capere simul & emittere posset ad feras quadringentas. Eâ autem desubitò occultè solutâ, exsiliebant vrsi, leæ, panthera, leones, struthiones, onagri, bisson-*

biſſontes. Nec naues ſolùm eiuſmodi induxêre in theatra, ſed, quod magis admirêre, quodammodo mare ipſum. Reperti enim qui hoc omne rotundum, per occultos quoſdam ductus & meatus, ſubitò aquâ replerent: & pro terreſtribus feris, monſtra maris oſtenderent, & claſſes, & naualem pugnam. Ei aquarum inductioni, fortaſſe non aberret, qui ſubterraneos illos canales adtribuat, de quibus ſuprà. Carini Principis ludis id factum, viſumque à ſe Calpurnius memorat:

Mare ſiue aquę in Amphitheatris.

Natantia in iis marina monſtra.

Nec ſolùm nobis ſilueſtria cernere monſtra
Contigit, aquoreos ego cum certantibus vrſis
*Spectaui vitulos, & *equorum nomine dignum*
Sed deforme pecus.

*Hippopotamos intellegit.

Et diu antè illum Nero id vſurparat, Dione ſic narrante: *Aliquando*, inquit, *belluis interfectis & Venatione exhibitâ, ſubitò aquam in Amphitheatrum* induxit, & nauale certamen oſtendit. rurſúmque eâ eductâ, Gladiatores in loco præbuit. denique inductâ iterum, magni ſumptus publicum epulum.* Nec aliter Domitianus, qui vt Suetonius ait, *prœlium equeſtre ac pedeſtre commiſit: & in Amphitheatrò, nauale quoque.*

*De ingeniis iſtorum hominum Seneca ep. xci. *Qui Euripos ſubito aquarum impetu implent, aut ſiccant.*

CAPVT

CAPVT XI.

De muro qui Arenam cingit. de Podio quod ſuper eum. eius forma. Digniſsimum eum locum ad ſpectandum, Senatui adtributum, imò magiſtratibus. Aptum ad curules ſellas. Principis ibi Suggeſtus, Tribunal prætoris: & Veſtalium ſedes.

SED nónne extrà limitem eo, quod dicitur, extraque oleas? Nam cum propoſitum mihi ſaltem nativam genuinamque Amphitheatri faciem oſtendere, addo etiam ecce colorum fucos & pigmenta. & vereor, Lipſi, vt cum faſtidio tuo. Meóne? inquam. Imò merum mel & nectar, Florenti, bibo in hoc ſermone. quem tu magis magisq. ſitienti mihi liberaliter, quæſo, infunde, &, vt ille ait, πίονι μέτρῳ. Florentius renidens, E genere Parthorum tu quidem es, inquit: de quibus increbuit, Quò plus biberint, plus ſitire. Sed educam te è ſiticulosâ hac arenâ, & ad Podium tranſibo quod adſidemus. Nam poſt Arenam murus ecce iſte occurrit, qui podium ſuſtinet, quique claudit & ambit infimum hoc ſolum. Podium enim appello, proiecturam hanc quæ in ſummo muro, quæ paulùm prouehitur & propendet inſtar

Quid Podium.

pedis. Vnde & nomen. Mænianorum ea quædam ſpecies eſt: facta in theatris, templis, ædibus, ad circumeundum, innitendum, ſpectandum. Mediolani inſcriptio vetus eſt: DOMITIVS. PODIVM. CVM. LORICA. ET. ADITVS. VIVVS. FECIT. Salerni, alia:

T. TETTIENVS. FELIX. AVGVSTALIS
*HS. L. M. N. LEGAVIT
AD EXORNANDAM. ÆDEM. POMONIS
EX. QVA. SVMMA. FACTVM. EST.
FASTIGIVM
INAVRATVM. PODIVM. PAVIMENTA.
MARMOREA.

*id eſt: Seſtertium quinquaginta millia nummûm.

Et de his ipſis theatralibus, alia: THEATRVM. STRAVIT. PAVIMENTO. PODIO. * CIRCVMSCRIPSIT. Itaque vt clarè capias, non aliud Podium hoc noſtrum quàm muri pars proiectior & prominentior antè imum ſpectaculorum gradum: cui columnæ impoſitæ ad ornatum, ſiue (cum libêret) ad innixum. Vitruuius deſcribit non obſcurè, magnitudine etiam expreſsâ, ſi attendis, libro v. cap. vii. vbi de theatris: *Podij*, inquit, *altitudo, ab libramento pulpiti cum coronâ & Lyſi, duodecima orcheſtræ diametri, Suprà podium, columnæ cum capitulis & ſpiris, altæ quartâ parte eiuſdem diametri.*

*Benè, Circumſcripſit: quia in orbem circuibat & in ambitum.

Magnitudo & ornatus podij.

metri. Cuius mens. vt, si orchestra tota, in quâ Senatores, (pone eam esse graduum quattuor aut quinque) alta pedes XII: tum ipsum podium vnius sit; columnæ eius, trium. Et addo victoriolas etiam reponi solere in podiis istis. Spartianus suadet in Seuero, vbi de Circi ludis: *Victoria*, inquit, *vento icta de podio stans decidit*. Et Dio Cassius agnoscit in theatri scænis, libro L. cum refert inter prodigia, ventum tam grandem fuisse, ὥστε καὶ νίκης ἄγαλμα ἀπὸ τοῦ θεάτρου σκηνῆς πεσεῖν. Ad hoc Podium, spectare soliti primi è Senatu. Nam cum orchestra plurium graduum esset, dignissimus habitus ille imus qui Podio proximus & Arenæ. quippe ex quo facillima spectatio. Iuuenalis:

Vitruuius explicatus.

Primi Senatorum ad Podium.

—— *generosior & Marcellis*
Et Catulis, Paullíq. minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium spectantibus.

Suetonius Aug. cap. XLIIII. *Factum decretum patrum, vt quoties quid vsquam publicè spectandum proponeretur, primus subselliorum ordo Senatoribus vacaret*. Primus, siue Imus. Ac nescio an inter ipsum Podium & Gradus spatij aliquid vacuum fuit latioris, in quo spectare soliti honorati. idque propriè, Ad podium spectare. Suadeor, quòd sellis curulibus spectasse

Spatij aliquid inter podium & gradus.

Sellis curulibus spectabant.

Sellis curulibus spectabant.

quosdam reperio. vt Suetonius narrat de Augusto: *Commissione ludorum quibus theatrum Marcelli dedicabat, euênit vt laxatis sellæ curulis compagibus caderet supinus.* Item, quòd sellas eâsdem honoris caussâ positas * absentibus, siue etiam mortuis. At sellæ eæ non est vt commodè positæ in gradibus ipsis fuerint, commodissunè in hoc plano. Credamq. Consules, Prætores, aliosque quibus id ius, in curulibus suis ad podium sic sedisse, cum lictoribus, viatoribus, & magistratus sui pompâ.

*Docui abũdè ad 11. lib. Annal. Tac.

Apparitores apud magistratus suos.

Tacitus hoc postremum ingerit libro XVI. Annal. cum præmia describit accusatorum: *Liberto & accusatori præmium operæ, locus in theatro inter viatores Tribunicios datur.* ex quo necessum fuisse eos bono honestoque loco, & iuxtà Tribunos ipsos. Nec immeritò. vt quisque magistratibus suis appareret. Nec magistratus solùm ad hoc podium dissignator ego colloco, sed & Principem ipsum. cui tamen eminentior quidam suggestus exstructus, & velut sua domus. Origo rei à Iulio Cæsare. quem Suetonius, inter alios honores quos nimios recepit, admisisse ait *statuam inter reges*, SVGGESTVM *in orchestrâ.* Secutique Principes id tenuêre, vt clarum ex eiusdem Suetonij

Suggestus in Pod..

Quis teppe- rit.

Ner.

Ner. cap. XII. *Icarus*, ait, *primo statim conatu iuxta* CVBICVLVM *eius decidit, ipsumq; cruore respersit. Nam perraro præsidere: ceterùm accubans primùm paruis foraminibus, deinde toto podio ad aperta spectare consueuerat.* Ex quo facilè colligis Suggestum illum tectum & inædificatum fuisse, ad modici cubiculi formam. cui proprium etiam suum Podium (de eo enim, non de grandi illo Amphitheatrali necessariò Tranquillum capis) quod ostiis quibusdam siue fenestris, Arenam versus aperiretur. Plinius hunc morem satis illustrat, laudatione ad Traianum: quem commendat, quia ciuiliter sustulit. *Digna*, inquit, *victore populo sedes* (de Circo sermo est) *visenda cùm ceterâ specie, tum quod æquatus plebis ac Principis locus. Siquidem per omne spatium vna facies: nec magis proprius spectandi Cæsari* SVGGESTVS, *quam propria quæ spectet. Licebit ergo ciuibus tuis inuicem contueri, dabitur non* CVBICVLVM *principis, sed ipsum cernere, in publico, in populo sedentem.* Sed præter hunc suggestum, ad podium etiam Tribunal Editoris. Cùm enim aliis honoribus, vt lictoribus & veste prætextâ, insignes voluerint eos esse qui ludos exhiberent; tum etiam altiori hac sede, in quâ præsiderent.

Cubiculi forma, & nomine.

Suetonius explicatus, aliter atque vulgus.

Traianus suggestum recusauit.

Tribunal in Podio.

Suſpicor ex Suetonij Auguſto: qui *virginibus Veſtalibus*, inquit, *locum in theatro ſeparatim, & contrà Prætoris* TRIBVNAL *dedit*. Nam quod Prætorem nominat, eò eſt, quòd plerumque ludos ij exhibebant. At quin aliis etiam editoribus is honos & is locus, non ambigo. Ad hoc Tribunal refero, quòd Vitruuius in *omni puſillo & magno theatro* fieri vult, *itinera, aſcenſus, pulpita*, TRIBVNALIA. lib.v. cap.VII. Quod verò ad Podium ea ſedes, cùm ratio euincit, tum Suetonius qui exaduerſum collocat Veſtales. Eæ autem ad Podium. Prudentius:

Veſtales ibidem.

An quoniam Podij meliore in parte ſedentes
Spectant, æratam faciem quàm crebra tridente
Impacto quatiant haſtilia.

CAPVT XII.

Quod tutamen infimo illo podio fuerit à feris. Retia ſolere prætendi, benè nexa, benè firma. Verſatilia item quædam ligna: Cancellos ferreos & Euripos. Sudatum in Calpurnij verſibus.

ET de Podio quidem hactenus. Tranſeo. Imò mane, inquam ego, mane. Magnus mihi hic metus. Circumſpexit Florentius, velut quæ-

quærens. Sed ego cum risu, Non pro me, ne erres, inquam: sed pro Consulibus & hoc omni Senatu Romano. quos tu quidem in podio collocas, id est, in ipso ostio orci. Quomodo enim hîc tuti à feris? quis leo, quæ panthera illos non inuadat, tantillo ab Arenâ interuallo? Iam si elephas aliquis. heu! Risit hîc largiter Florentius: &, ô te hominem albo epate? inquit. profectò mater tua numquam flebit. Quid tamen hîc periculi? Murus iste quem vides, quique Arenam diuidit, scito altiorem fuisse non paulò quàm pro hoc aspectu. Ipse corruit, & subsedit, & rudera aream alleuarunt. Non minus certè olim altitudinis habuit, cum hoc podio, duodenos quindenósue pedes. Quæ fera hunc transiliat? Et tamen contrà inopinatos quoque casus, scito à catis illis prouidè prouisum. Nam primùm retia valida, nodosa, in orbem vndique Podium hoc cingebant. Plinius ea intellegit libro XXXVII. de Neronis quodam munere: *Tanta*, inquit, *copia succini inuecta, vt* RETIA ARCENDIS FERIS PODIVM PROTEGENTIA *succino nodarentur.* Et Calpurnius, qui retia illa in Carini Venatione format & torquet ex auro:

——*auro quoque torta refulgent*

Retia

Murus Podij olim satis altus.

Retia antè podiū; quorum raritas scilicet non impediebat aspectum.

Retia illa per luxum inaurata.

Retia, quæ totis in Arenam dentibus exſtant.

Nec retia ſolùm, ſed verſatiles quidam trunci appoſiti muro & huic podio, contrà ſcanſionem omnem ferarum & inſultum. Calpurnius idem allucet, ſed facem parum claram:

Ligna rotantia.

——nec non vbi finis Arenæ
Proxima, marmoreo peragit ſpectacula muro,
Sternitur adiunctis ebur (admirabile) truncis;
**Et coit in rutilum, tereti quà lubricus axem*
Impoſitos ſubita vertigine falleret vngues
Excuterétque feras.

* Fortaſſe leg. *Et coit in rotulam teretem: quò lubricus axis.*

Vitioſa ſcriptura, cui ægrè medeor.

Verſus enim dubiæ & intricatæ ſcriptionis. Legerim, *& coit in rutulam*, ſiue, *rotulam*. vt velit truncos eos eburatos vtrimq. in rotulam cõiſſe, atque ita inſilientis feræ impetum fregiſſe, & vertendo excuſſiſſe. Neſcio etiam an, *in ruplum*. Nam Ruplus in Gloſſis, σφόφευς γαλεάσεως, καὶ ὀπτήκιον, cardo & vertebra caueæ. Sed mentem facilius verſuum horum adfirmarim, quàm verba. Vult omnino tranſuerſa quædam ligna verſatilia obiecta muro, quæ feras fallerent dum enituntur. Ego hîc iterum, Anceps hoc præſidium, Florenti: & quomodo me firment verſus tam infirmi? Sanè (rideas licet) ego etiamnunc in ſummâ caueâ ſpectare eligam, nec inuideam Senatui orche-

orcheſtram. Contrà elephantes enim & immanes illas feras, quid? Parata arma, inquit Florentius. Nam aut clathris ferreis Arenam totam circumdabant: aut, quod certius, Euripis. Valdè enim id genus metuens aquæ. Plinius libro VIII. *Vniuerſi* (de elephantis loquitur) *eruptionem tentauere, non ſine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Qua de cauſa C. Cæſar Dictator poſteà ſimile ſpectaculum editurus,* * *Euripis arenam circumdedit. quos Nero Cæſar ſuſtulit, equiti loca addens.* Et iámne ſecurus? Haud planè etiam, inquam ego: ſed perge.

Cõtrà grandiores belluas quid præſidij.

* Vide & Sueton. in Cæſ. cap. XXXIX.

CAPVT XIII.

Gradus, & eorum forma. Diuiſi accuratè in ſuas partes. Puluilli in iis. Præcinctiones. Aditus. Via. Cunei. Cathedræ. Porticus. Vitruuius, Tertullianus, Martialis, Calpurnius, varij ſcriptores variè emendati aut illuſtrati.

FLORENTIVS: Gradum igitur iam promoueo ad Gradus, & ad hos Subſellio-rum, vt ſic dicam, colles. Non malè, colles. quia reuera per decliue iacentium ea forma.

Cliuoſi gradus. Itaque Calpurnius aptè deſcripſit:

Immenſoſq́, gradus, & cliuos lene iacentes.

Malè enim aliquot libri, *diuos*. nec quidquam hîc ſanè de puluinari. Sed vt totam hanc ſedendi ſpectandiq́ue rationem ſubtili quadam Mineruâ intellegas, non craſsâ: opus vt hoc omne ſpatium diſtinguam tibi per partes. Quæ erunt iſtæ. Gradus: Præcinctiones: Aditus: Viæ: Cunei: Cathedræ: Porticus.

Diſtinctio graduum.

Quid hic Gradus.

GRADVS appellamus, vti ſcis, ea ipſa loca in quîs ſedebant. Sic dicti in Amphitheatris, quia ad formam ſcalarium graduum, alij alios conſequuntur. Eorum dimenſio Vitruuio expreſſa: *Gradus*, inquit, *vbi ſubſellia componantur, ne minus alti ſint palmopede, & digitis ſex. Latitudines eorum, ne plus pedes duo ſemis, ne minus pedes duo conſtituantur.* Palmopede, id eſt, pede & palmo: ſiue palmis quinque. Palmus enim quatuor digitos continet: Pes quattuor palmos. Sed hæc tamen Vitruuiana altitudo non conuenit gradibus Amphitheatri Veronenſis. qui, Torellò dimetiente, alti dumtaxat pedem & duas vncias. id eſt, pedem & duos digitos ſemis & paulùm quod excurrit. Sed cur tam lati? parùm enim ex ſymmetriâ & bono loci videtur, duos pedes & ſemis

Eorum dimenſio.

Cur latiores facti?

latos.

latos eos facere. Quod verum est: sed latitudinem eam exigit, in contextu illo graduum ratio sedendi. Pedes enim eorum qui in superiore gradu spectant, innixi inferiori gradui proximo. qui ne læderent sedentes alios, néue ipsi læderentur; opus habuere aliquâ laxitate. Fortasse etiam ad ponè transeundum. Gradus autem isti è lapide. Vnde scitum illud Aristippi, Cui bono eruditio? Huic saltem, inquit, ne in theatro lapis sedeat super lapidem. Quanquam & sæpè è ligno. Serò repertum, vt puluilli insternerentur Senatui: idque primus Caligula instituit. Dio Cassius: τά τε προσκεφάλαια τοῖς βουλευταῖς, ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶν τῶν σανίδων καθίζοιντο, πρῶτον τότε ὑπετέθη, καὶ πίλους φρυγικοὺς τὸν θεσσαλικὸν τρόπον ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, ἵνα μὴ ἡλιώσει βαλανιωθῶσιν, ἐπετράπη. id est: *Puluilli tunc primùm Senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, subiecti, & pileos Thessalicos in theatra iis inferre concessum, ne insolatione torquerentur.* Ait clarè, Senatui tantùm: posteà tamen id etiam Equiti concessum, ex Iuuenali:

E lapide fuisse, plurimum.

Puluilli iis imposiri.

—— *exeat, inquit,*
Si pudor est, & de PVLVINO *surgat* EQVESTRI
Cuius res legi non sufficit.

PRÆCINCTIONES sequuntur. quas, si

Quid præcinctiones.

benè capio, non aliud censeam quàm graduum interualla & diuisiones quasdam in orbem. Vitruuius aliquoties nominat: sed, vt in re tunc clarâ, describit parum clarè. *Præcinctiones,* inquit, *ad altitudines theatrorum pro ratâ parte faciendæ videntur: neque altiores quàm quanta præcinctionis itineris sit latitudo.* Iterum: *Gradationes scalarum contrà quadratorum angulos dirigantur ad primam præcinctionem.* Videntur autem siue ad Vomitoria & ipsos Aditus, siue in discriminibus Orchestræ, Equestrium, Popularium, gradus quosdam latiores altioresque struxisse, qui reliquos minores velut præcingerent & complecterentur. Vnde & nomen. Torellus certè obseruat in illo Veronensi, Gradum esse circà medium qui duos pedes & vncias sex altus: cum reliqui tantùm, pedem & vncias duas. Atque ea profectò Præcinctio. etsi Vitruuius & res ipsa, plures suadent vnâ. Baltheus id alio nomine vocatur, à pâri causâ: quia velut cingulum quoddam latum. Calpurnius in Amphitheatro Carini:

Baltheus en gemmis, en illita porticus auro.

Tertullianus de Spectaculis: *Vias enim vocant cardines baltheorum per ambitum.* Ex quo discè, ad cingula etiam ista fuisse vias. Diazomata item,

*Cap. III. lib. V.

*id est: Cingulum non altius sit, quàm latum est illudipsum subcingulare iter. de quo mox.

*Et apparet clarissimè præcinctiones in Theatris.

Baltheus.

*Eaque re Zodiaci Zona, etiá Baltheus à Manilio vocatur.

Diazomata.

item, Græcanica voce, commodè adpellat Vitruuius cap. VII. *Gradus, diazomata, pluteos.*

ADITVS deinde. qui in ipſa gradatione portæ quædam ſiue oſtia, per quæ ab exterioribus porticibus venitur & deſcenditur in ipſas ſedes. De his Architectus: *Aditus complures & ſpatioſos oportet diſponere; nec coniunctos ſuperiores inferioribus, ſed ex omnibus locis perpetuos & directos, ſine inuerſuris faciendos: vti cum populus dimittitur de ſpectaculis, ne comprimatur, ſed habeat ex omnibus locis exitus ſeparatos ſine impeditione.* Vomitoria appellat Macrobius, voce vulgi: libro VI. Saturnal. cap. IIII. Ad illud Virgilij *—totis vomit ædibus vndam. Pulchrè & antiquè. Vnde & nunc Vomitoria* (alij libri, *Vomitaria*) *in ſpectaculis dicimus, vnde homines glomeratim ingredientes in ſedilia ſe fundunt.* Atque hæc foramina perſpicua in hiſipſis graduum reliquiis, itemque in illo Veronenſi.

Aditus, quid appellemus.

Vomitoria, dicti.

AD VIAS venio.. quæ, auctore Tertulliano, hîc duplices. *Vias enim vocant, cardines Baltheorum per ambitum, & diſcrimina populariorum per procliuum.* Optimè eruditus ſcriptor. Vult enim vias alias eſſe, quæ ad * cardines ſiue limites baltheorum, in circuitu: alias, quæ à

Viæ inter gradus, duũ genera.

*Has vias, vocat Itineraria præcinctionum Vitr. cap. III.

Vomitoriis illis, in deſcenſu. Itaque ait, per procliuum. Sed cur Popularium tantùm meminit? eaque diſcriminari, & in cuneos ſuos tribui, viis illis ſecantibus, vult? Adhæreſco. Excludere enim apertè Equeſtria & Orcheſtram videtur: aliter quàm * Suetonius, qui Cuneos in his agnoſcit: ergo & Vias. Sed Popularia largè fortaſſe acceperit ſcriptor Afer, pro omni populi conſeſſu. Vias has modò Itinera, modò Scalaria Vitruuius appellat. ſed Scalaria tamen propriè, vias quæ inter Cuneos ad aſcenſum aut deſcenſum. In his viis qui locum non habebant, quique, vt ſuo verbo dicam, excuneati erant, ſpectabant ſtantes. Tertullianus: *Nam apud ſpectacula & in viâ ſtatur.* Martialis facetè de falſo quodam equite, libro v.

De Tertulliani loco obſcuro.

*Vide iam nunc in Cuneis.

Diſtrimen aliquod inter Itinera & Scalaria.

In viis, excluſi ſpectabant.

Sedere primo ſolitus in gradu ſemper,
Tunc cum licebat occupare, Manneius,
Bis excitatus térque, tranſtulit caſtra,
Et inter ipſas panè tertius ſellas
Poſt Caiúmque Luciúmque conſedit.
Illinc cucullo proſpicit caput tectus,
Oculóque ludos ſpectat indecens vno.
Et hinc miſer deiectus in VIAM *tranſit,*
Subſellióque ſemifultus extremo,

Et malè

Et malè receptus altero genu, iactat
Equiti ſedere, Lectióque ſe STARE.

Cuius epigrammatis ſententia iſta. Manneium ſolitum antè Domitiani edictum ſedere inter equites, & quidem in Equeſtrium primo gradu, qui ad orcheſtram. Sed agnitum & pulſum aliquoties à diſſignatore Lectio, tranſiſſe tandem ad ſummam caueam, & ſpectaſſe inter plebem & pullatos. tantumnon inter cathedras muliebres. Sed illinc quoque deiectum, ſpectaſſe in Via ſemi-ſtantem. Atque huius ſententiæ etiam illud Taciti eſt, lib. XVI. de militibus, qui à Nerone diſpoſiti *Per cuneos* STABANT, *nequod temporis momentum impari clamore, aut ſilentio * ſegni præteriret.* Nam ſtetiſſe eos cenſeo in his vtriſque viis. Latitudo Itineris ad baltheum, mihi ignota. cenſeo non minus, trium quattuorúe pedum. Si enim vulgarium graduum, Vitruuio definiente, duo pedes & ſemis: quídni duplum iſtis? At Scalarium ſiue Aſcenſuum, altitudo in Veronenſi apparet ſemipedis & vnciæ: latitudo, pedum binûm. Humiliores ergo aliis ſedentariis gradibus, parte dimidiâ. Formam ex ære hîc vides. Addo, canaliculas quaſdam & deriuationes aquarum ad oram extremam

Martiali lux data.

*Malo ſegne.

Dimenſio viarum.

Canaliculæ in gradibus.

graduum

graduum fuisse, quà Scalaria incipiebant. Apparent in fragmentis lapidum.



& vsum, credo, habuerunt siue aquæ cælestis deriuandæ, siue potius humanæ. Nam cum dies totos in spectaculis persederent, quin vrina reddenda fuerit, non ambigimus: eique vsui tribuimus hos incisos canales. Nam ad pluuiam, scire te volo pendulos leuiter & procliues omnes gradus fuisse.

At CVNEI iam (Alexis κεφαλὰς dixit) inter has vias medij. Quidquid enim sedilium diuiditur præcinctionum itineribus, & secatur latera-

lateralibus viis, in hoc nomen id venit. Nomen datum à formâ. quia reipsâ Scalarum directio talis, vt ab imo ordiens magis diffunderetur in altum: redderetq. cunei formam. Hoc modo, vide. Digiti enim potius res est, quàm linguæ. Sed hoc mihi nota, vias istas Scalares non ab imò ad summum rectà & sine intercisione isse. Contrà est. dirigebantur saltem ab imâ orchestrâ ad primam præcinctionem. Ibi desinebant. & *alternis aliæ incipiebant, cum cuneorum noua variatione. Ita si triplex præcinctio (& id ex Vitruuio suspicamur:) triplex etiam ordo & discrimen cuneorum. Nec absurdè fortasse sensérim, si Cuneos & Præcinctiones finiam ac discriminem limitibus Orchestræ, Equestrium, Popularium. Architectus noster Augustalis, meo animo, describit non obscurè: *Cunei*, inquit, *spectaculorum in theatro ita diuidantur, vti anguli trigonorum, qui currunt circà curuaturam circinationis, dirigant ascensus scalásque inter cuneos, ad primam præcinctionem. Suprà autem alternis itineribus superiores cunei medij dirigantur.* Et adde quæ scribit cap. VIII. *Gradationes scalarum inter cuneos & sedes dirigantur ad primam præcinctionem. ab ea præcinctione inter eas iterum me-*

Cunei spectaculorum.

Directio scalarium alterna.

*Quod quidem clarissimè in Veronensi apparet, & Theatro Marcelli.

dia dirigantur. Et sanè hæc præscriptio in parte apparet in Theatro Veronensi ad Athesim: quod deformauit (etsi παχύτερον) Torellus. Atque hi Cunei theatrorum, qui in scriptoribus crebri. Iuuenalis:

Exempla & loca de cuneis.

——cuneis an habent spectacula totis
Quod securus ames?

Martialis: *Æra sed à cuneis vlteriora petis.* Inde Theatrum Cuneatum Virgilio:

—— cuneati læta theatri
seditio.

Et Ausonio: *Cuneata creuit hæc theatri immanitas.* Inde Excuneandi verbum, id est eiiciendi & velut extrà cuneum excludendi, vsurpatum à Apuleio. Hi cunei, certi certis adsignati. Suetonius in Aug. cap. XLIIII. *Militem secreuit à populo.* * *Maritis è plebe proprios ordines* (id interpretor, vel ordines aliquot subselliorum, vel etiam cuneos) *adsignauit. Prætextatis* CVNEVM *suum; & proximum, pædagogis.* Ad discrimina hæc Cuneorum quique in iis sedebant, alluisse mihi Tertullianus videtur De Resurrectione carnis: *Igitur quantum ad hæreticos, demonstrauimus quo cuneo decurrendum sit à nobis.* Cuneos autem etiam equitum & Senatorum fuisse, clarè docet Suetonius

Cunei certi, certis adtributi.

*Martial. al. Iusit lib. v. *Sedere in equitum liceat an tibi scænæ, Videbo Dyadime. haud licet mariterum.*

Obscura Tertulliani dictio explicata.

Cunei etiam Senatorum & Equitum.

Domit.

Domit. cap. IIII. *Die proximo omne genus rerum missilia sparsit. & quia maior pars intrà popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos Equestris ac Senatorij ordinis pronunciauit.* Et Virgilius, plebis item ac patrum agnoscit:

——hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrúmque
Corripuit.

Ad CATHEDRAM iam peruêni. quam solus Tertullianus mihi in Amphitheatris suggerit: *Cathedra*, inquit, *vocatur, ipse in amfractu ad consessum situs.* Solus ille disertè. Nam aliorum cathedræ, aliò trahi possunt, & fortasse debent. Videtur autem ille locum designare, vbi eliui subselliorum desinunt, & murus incipit qui porticum facit, cliuosque illos velut frangit. Ideò, *in amfractu.* Et credam sanè plani aliquid spatij ibi fuisse, è quo spectarent in cathedris, quoniam nulli illic gradus. Possis Calpurnium ad hanc sententiam flectere:

Venimus ad sedes, vbi pullâ sordida veste
Inter fœmineas spectabat turba cathedras.

Nam fœminæ & pullati *non nisi ex superiore loco spectabant*, ex Augusti decreto quod Sueto-

Quid cathedra incertè dictum.

Cathedræ fœmineæ.

nius memorat cap. XLIIII. Sellas etiam Martialis nominat, neſcio an pro cathedris an pro ſubſelliis graduum ipſorum. Nam tenebræ mihi adhuc in iſto eius verſu:

Retractatus Martialis verſus.

Et inter ipſas pænè tertius ſellas
Poſt Caiúmque Luciúmque conſedit.

Rettuli quidem ſuprà ad fæmineas ſellas: ſed repugnante, vt vereor, poëtâ, qui non vult Equeſtria eum egreſſum, ſed in aliquâ ſemper eorum lineâ hæſiſſe. An ſellæ etiam virorum? easque in gradibus ipſis collocabant? Ita prona quidem facilisque ſententia ſit, vt dicat miſellum hunc irrepſiſſe inter Caij Luciique ſellas, & pænè tertium ſediſſe cum duobus. ſed ex illis quoque latebris protractum. Et ſanè de ſellis allatis & illatis, quidam mihi ſuadent. Suetonius Nerone, cap. XXVI. *Interdiu quoque clàm geſtatoria ſella delatus in theatrum, ſeditionibus Pantomimorum ex parte Proſcanij ſuperiore ſignifer ſimul ac ſpectator aderat.* Iuuenalis, in ſuo illo non inuidendo voto:

De ſellis dubitatio noſtra.

——*& duo fortes*
De grege Mœſorum, qui me ceruice locata
Securum iubeant clamoſo inſiſtere Circo.

Vitruuij etiam ambigua verba: *Gradus, vbi ſubſellia componantur.* Tamen magis eſt vt aliter fue-

ter fuerit, ex iis quæ ſuprà dixi. Et Suetonij Iuuenalisque loci, euincunt non niſi de ſupero loco. quod fatemur vltrò. An ergo in Martiali ſcribendum, *tertias ſellas*? capimusque pulſum eum à primo ſubſellio ad tertium? Sed quam ſententiam aut acumen tum habebit, τὸ *pænè*? Iterum dico. parum mihi in hoc verſu lucet aut liquet.

Tentatus Martialis, ſed vereor vt manu parum fauſtâ.

At de PORTICIBVS ſuperioribus, è quîs tenuiores ſpectabant, ſatis certum. Calpurnius tangit;

Porticus quid.

—en illita porticus auro
Certatim radiat.

Vitruuius oſtendit tectas fuiſſe: *Tectum porticus*, inquit, *quod futurum eſt in ſumma gradatione.* Ideoque non vanè ſuſpicer à Tertulliano, Cameras, vocatas. De Spectac. *Deus etiam extrà cameras, & gradus, & apulias oculos habet.* Vbi de Apuliis, digitum tollo: & fateor me non poſſe hiſcere probum de iis aut probabile verbum.

Eaſdem videri cum cameris.

Hîc inſerenda 11. forma.

CAPVT XIIII.

De ordine & locis in ſedendo. Quando diſcrimen id factum. De orcheſtra. de Equeſtribus: & Tribunos quoſdam nouos fuiſſe inter Equites. De popularibus. déque loco pullatorum & Faminarum.

LOCVM & eius membra ſatis deſcripſi. ad cuius tamen lucem nonnihil etiam faciet, ſi ordinem Ordinum in conſeſſu noris & diſcrimen. Populi enim Romani, vt ſcis, priſca diuiſio, in Senatum, Equitem, Plebem. His diſcreta in Spectaculis ſua loca, & gradus. In Theatris quidem iam olim lege Roſcia: at non ita diu in Circo & Amphitheatris. Promiſcuè enim ibi ſpectabant & quouis loco liberè, quamdiu libertas Romæ. Plutarchus indicat in Sulla: ἦν μὲν, inquiens, θεὰ μονομάχων. ὅπου δ' τῶν τόπων διακεκεμμένων, ἀλλ' ἐπὶ τῆς θεάτρου συμμιγῆς ἀνδράσι καὶ γύναιξιν ὄντος, ἔτυχε πλησίον τῆς Σύλλα καθεζομένη γυνὴ τῷ ὄψει ἐμπρεπὴς καὶ γένους λαμπροῦ. id eſt: *Spectaculum quidem gladiatorum erat. Locis autem ad ſpectandum nondum tunc diſcretis, ſed mixtim ſedentibus viris faminiſque: accidit, vt propter Sullam mulier quapiam ſederet, facie & genere honeſto.* At id mutatum

Populi Romani tres ordines.

Diu confuſio in Amphitheatrali ſpectaculo.

mutatum sub Principibus: & discrimina dignitatum facta, bono iure. Nec subtiliter hîc tempora exsequar. *quid opus? Hoc scito, Senatui in Amphitheatris quoque suam sedem fuisse, suam Equiti, suam Plebi. Illam, orchestram dixêre: alteram, Equestria: tertiam, Popularia. De orchestrâ vbique obuium* quæ vox nata in scænâ & pulpito, transiit communi abusu quodam ad alios etiam ludos. Sedes illi, vt Vitruuius ait, *inter gradus imos*. Is enim locus quia Scænæ & Arenæ proximus, ideoque oculis auribusque expositus: optimus habitus spectioni, siue auditioni. Cicero de Senectute: *Vt Turpione Ambiuio magis delectatur, qui in primâ caueâ spectat quàm qui in vltimâ.* Horatius:

*Vt propius spectes lacrymosa poëmata Pupp*I.

Magnitudo eius, vt coniicio, in gradibus quatuor aut quinque. aut fortasse pluribus, vt etiam Sacerdotibus ibi locum demus, & sociarum gentium legatis. Equestria autem, Senecæ nominata VII. De Benef. *Equestria omnium equitum Romanorum sunt. in illis tamen, locus meus fit proprius, quem occupaui.* Item Suetonio, in Calig. *Decimas maturius dabat, vt equestria ab infimo quoque occuparentur.* Et alluſit

*Feci enim accuratè in Comment. ad lib. XIV. Taciti.

Orchestræ vox, Græco ortu.

Vbi fuerit.

In imis gradibus, qui optimi spectioni.

Equestria.

lusit argutatrix illa apud Petronium: *Ego etiamsi ancilla sum, numquam tamen nisi in Equestribus sedeo.* Ea equestria lege veteri Quattuordecim gradus tenuêre. itaque passim legas sedere in quattuordecim: & pro ipsa equestri dignitate in Senecâ: *At mehercule multis quattuordecim gradus sunt clausi: non omnes Curia admittit.* Lege dico veteri. nam vt idem numerus sub Principibus fuerit, aucto immaniter numero equitum, non herclè inducor ad credendum. Et impellit me in alia omnia Calpurnius, qui ostendit totam mediam superioremque caueam occupatam ab equite ludis illis celebribus Carini:

Quàm ampla fuerint.

Aucta videri sub principibus.

Venimus ad sedes vbi pullâ sordida veste
Inter fæmineas spectabat turba cathedras.
Nam quacumq; patent sub aperto libera cælo,
Aut Eques, aut niueiloca compleuêre Tribuni.

Ostendit se in porticu summâ spectasse inter fœminas, quoniam gradus omnes qui sub dio occupati ab Equite aut Tribunis. Nam hos quoque addit. nec intellegit illos notos Plebeios (caue erres:) ne Militares quidem solos. vnde enim tanta eorum multitudo? sed genus nouum, quod vario agnomine sub Principibus natum. De quo copiosè dicendi non hic

Tribuni inter equites spectabant.

*locus.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

*locus. Eodem illo Tribunicio iure ſpectaſſe ſe in Equeſtribus Martialis ait: *Dico proprio libro, De magiſtratibus.

——*vidit me Roma Tribunum,*
Et ſedeo quà te ſuſcitat Oceanus.

Martialis quomodo eques. Nam quod de ære magno huius poëtæ ſuſpicere, aut cenſu fuiſſe equitem: errabis. tenue ſemper & exſuccum hoc genus. Ipſe id renuit, loco alio, & paupertatem clarè præfert:

Sum, fateor, ſemperq; fui, Calliſtrate, pauper,
Sed non obſcurus nec malè notus eques.

Inter equites igitur, quia adnexum hoc Tribuniciæ illi dignitati. Et quidem hi Tribuni in gradibus primis ſpectabant, ex Horatiano vetere interprete: qui ad locum illum Epodôn, in Murenam: *Sedilibúſque magnus in primis eques*: commodè notat, *Otho*, inquit, *quattuordecim gradus in theatro equiti ſeparârat, ex quibus primi Tribuniciis poteſtatibus vacarent.* Popularia ſunt loco tertio. & nomen eâ notione reperies in Suetonij Claudio, cap. XXV. *Germanorum legatis in orcheſtrâ ſedere permiſit, ſimplicitate & fiduciâ eorum motus, quòd in Popularia deducti, cum animadvertiſſent Parthos & Armenios in Senatu ſedentes, ad eadem loca ſponte tranſierant.* Et in Domitiano, verbis quæ rettuli ſuprà. Vlpianus etiam *Milites ſtationarios* Popularia. Vide Epiſtolic. noſtras, lib. III. ep. XVIII.

diſponi à Præfecto vrbis vult, *ad tuendam Populariũ quietem.* Calliſtratus, in ſpectaculis *Iuuenes quoſdam accommodare ſe turbulentibus acclamationibus Populariũ* ſcribit. Et ſcio vtrumque intellegere hunc plebis conſeſſum. Plebis. nam etſi populi voce vtuntur, quæ cõmunis tribus ordinibus: tamen hîc pro vnâ eius & vberiori parte. Vti & apud Iuuenalem:

Populi vox, pro ſolâ plebe interdũ.

Æquales illic habitus, ſimilémque videbis
Orcheſtram & populum.

Intellegit enim, in hac ipſâ Spectaculorum re, plebem. Popularibus autem adtributi reliqui omnes gradus. id eſt Cauea media, & Summa. Nam Ima Senatui & Equiti vacabat. Itaque propter granditatem, diſcrimen aliquod in ipſis popularibus: & pro variâ conditione plebis, varij adſeſſus. Quoſdam, imò pleroſque Suetonius expreſſit Auguſto: *Militem ſecreuit à populo. maritis è plebe proprios ordines adſignauit. prætextatis cuneum ſuum. & proximum, pædagogis. ſanxítque ne quis pullatorum mediâ caueâ ſederet. Faminis ne gladiatores quidem, quos* promiſcuè ſpectari ſolemne erat, niſi ex loco ſuperiore ſpectare conceſſit.* Vbi de Pullatis quod ait, illuſtrant Calpurnij verſus:

Popularia ipſa iterum diuiſa.

*Suprà, ex Plutarcho.

Pullati ad ſuperos relegati.

O vtinam nobis non ruſtica veſtis adeſſet!

Vidiſ-

Vidiſſem propius mea numina. ſed mihi ſordes
PVLLAQVE *paupertas & adũco fibula morſu*
Obſtiterunt.

Oſtendit enim ſe ruſticum & pullatum ſpectaſſe in caueâ ſummâ, procul à Podio vbi Princeps. Ideò apud Senecam de Tranquillitate, *Verba ad ſummam caueam ſpectantia*, ſunt vilia & ad guſtum minutæ plebis. At quòd Fæminæ in ſummo: etiam Propertius tuus oſtendit, vbi præcepta æmulantis Cynthiæ: Item fæminæ.

Tu neq; Pompeiâ ſpatiabere cultus in vmbrâ,
Et cum laſciuum ſternet arena forum
Colla caue inflectas ad SVMMVM *obliqua theatrũ* Propertij alia diſtincto & intellectus.

Ita legendi & iungendi ij verſus. & mens eſt, Cum Gladiatores in foro: caue oculos adiicias, tu qui in equite ſpectas, ad loca ſumma, vbi mulieres.

CAPVT XV.

Confuſa aliquando locorum ſeries: eáq. occupata. Æs pro Locis. Plautus explicatus, & Suetonius, & Martialis. Diſſignatores, eorum munus. Excitare. Tribuni voluptatum.

ET hi quidem limites, hic ordo. quem tamen migrabat & miſcebat ſæpe Quiritium turbida plebs. Auidi enim multi ludo-

rum, & excluſionis metuentes, loca de multâ nocte occupabant, & inhærebant vt ſuis. Lampridius in Eliogabalo: *Serpentes per Marſica gentis ſacerdotes collegiſſe fertur: eóſque ſubitò antè lucem, vt ſolet populus ad ludos celebres conuenire, effudiſſe.* Benè dixi, occupabant. eo enim verbo id vulgò notabant. Martialis:

Occupare propriè, quid.

Tunc cum licebat occupare, Manneius.

Spartianus in Iuliano: *Ad Circenſe ſpectaculum itum eſt: ſed occupatis indifferenter omnium ſubſelliis, populus geminauit conuicia in Julianum.* Suetonius Calig. cap. XXVI. *Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de mediâ nocte occupantium, omnes fuſtibus abegit.* Ait Tranquillus, *gratuita loca.* Ergóne aliquid aliâs pendendum? Apparet: & quidem priſco etiam æuo. Certè Plautina Prologus, (etſi non Plauti) id indicat receptum in ſeruis:

Loca pretio aliquo diſtributa.

Plauti antelogio lux.

Serui ne obſideant, liberis vt ſit locus.
Vel as pro capite dent: ſi id facere non queunt;
Domum abeant.

Etiam in aliis è plebe, opinor, qui locariis neſcio quid pro ſedibus pendebant. Ita appellat Martialis, qui loca diſſignabant. In Hermetis gladiatoris laudibus:

Et Martiali.

Hermes

Hermes ſuppoſiticius ſibi ipſi:
Hermes diuitiæ locariorum:
Hermes cura labórque ludiorum.

Nam Locarij, meo animo, non aliud hic quàm diſſignatores. Quos Tertullianus in ludis agnoſcit, libello De Spectaculis: *A templis & aris, inter tribus & tibias, duobus inquinatiſſimis arbitris funerum & ſacrorum, Diſſignatore & aruſpice.* Plautina eadem illa Prologus agnoſcit in ſcænâ:

Locarij, qui homines locant, diſponuntque.

Neu diſſignator prater os obambulet:

Quinetiam lictores illis adtribuit:

Diſſignatores cum lictoribus.

— neu lictor verbum aut virgæ mutiant.

Qui enim hoc refert ad lictores magiſtratuum: errat. Nullæ in hac Hiſtricâ prouinciâ eorum partes. Sed vt diſſignatores in funere publico lictores comitabantur, ſeuerioris imperij cauſſâ & ordinis ſeruandi: ſic in theatris. De funebri diſſignatore, Horatij illud noſti:

——dum ficus prima calórque
Diſſignatorem decorat lictoribus atris.

Non quia proprij Diſſignatorum vlli apparitores (viles enim ipſi olim & fortaſſe inter libertinos:) ſed accipiebant à * Domino funeris & Editore ludorum. Ex hoc genere, Lectius ille & Oceanus apud Epigrammatarium: nec

*In Saturnalibus dixi, lib. 1. cap.

magiſtri illi aut Præfecti ludorum (nugæ iſtæc interpretum) ſed meri diſſignatores. Quorum tamen dignitas ſub Principibus aucta. Vlpianus benè monet l. IIII. De his qui not. infamia: *Diſſignatores*, inquit, *quos Græci βεγβδιτὰς appellant, artem ludicram non facere Celſus probat: quia miniſterium non artem exerceant. Et ſanè locus iſte hodie à principe non pro modico beneficio datur.* Horum munus, ordinibus ſua loca adnotare, pellere occupatores ab alienis. Facetè ſæpe meminit acutus & capitalis ille Hiſpanus, per occaſionem edicti Domitiani, quo *licentiam in equite promiſcuè ſpectandi* (quæ contrà leges eruperat) *cohibuit*. Et id dicebant theatrali verbo, Excitare aut Suſcitare.

Creuit eorum dignitas.

Pellebant loco non dignos.

Excitare.

Bis excitatus térque, tranſtulit caſtra.

Alibi: *Et ſedeo quà te ſuſcitat Oceanus.*

Suetonius Auguſto, cap. XIIII. *Cùm ſpectaculo ludorum gregarium militem in quattuordecim ſedentem excitari per apparitorem iuſſiſſet.* De quâ eâdem re Appianus: καὶ ὁ Καῖσαρ τὸν στρατιώτην ἀνέστησε. Sed addo etiam. labente æuo, præter diſſignatores, videri fuiſſe digniore quodam nomine Tribunos: qui electi ad moderandas & temperandas ludicras populi voluptates. Ij dicti, Tribuni Voluptatum. Quorum

Tribuni voluptatum.

rum formula & inunus, apud Cassiodorum libro VII. Variar. epist. X.

CAPVT XVI.

Tubi occulti in Amphitheatris ad Sparsiones. Eas è croco diluto fuisse. Apuleius emendatus. Videri eumdem liquorem è statuis emissum. Pluria ad hanc rem exempla.

VIDEOR de loco omnia dixisse: certè ea quæ in aperto. Nam quin lateant etiamnunc quædam, non nego: quæ tamen, lucis tuæ caussâ, protraham in claram lucem. In eo genere tubi sunt siue fistulæ: quæ in imo & summo Amphitheatro dispositæ, eâ arte & fine, vt odoratum quemdam humorem eiacularentur leuiter & inspergerent in sedentes. Is humor, è croco plerumque. Seneca epist. XCI. *Vtrum tandem sapientiorem putas, qui inuênit quemadmodum in* IMMENSAM ALTITVDINEM CROCVM *latentibvs fistvlis exprimat?* Idem libro II. Quæst. Natural. *Nunquid dubitas quin* SPARSIO *illa, quæ ex fundamentis* MEDIÆ ARENÆ *crescens, in* SVMMAM ALTITVDINEM AMPHITHEATRI *peruenit, cum intentione aquæ fiat?* Apuleius lib. X.

Fistulæ Amphitheatrales.

Spargebant crocum ex imâ Arenâ.

Tunc

Tunc de ſummo montis cacumine per quandam latentem fiſtulam in excelſum prorumpit vino crocus (ita emendo ex vet. codice noſtri Giſelini) *diluta, ſparſimq; defluens paſcentes circà capellas odorato perpluit imbre.* Benè Apuleius, *odorato imbre.* quia è fiſtulis illis, per minuta quædam foramina ſtillabat is liquor in modum imbris. Et ſignatè locutus eſt Antonius Muſa apud Senecam patrem, qui *Sparſiones, odoratos imbres* dixit. Vbi magnus ille Turnebus à ſe & à vero abit, dum tentat ſufficere *adoratos imbres*: & perperam ad miſſilia refert. Nam rorem illum ingenioſum, Sparſiones vocabant aptè. Gloſſæ priſcæ: *Sparſio* Κεχύσεις. Et Martialis Spargendi verbo in eo vſus:

Apulcij correctio.

Sparſiones propriè.

Hoc rogo non melius, quàm rubro pulpita nimbo
SPARGERE, *& effuſo permaduiſſe croco?*

Et nimbum item aliquoties appellat: vt lib. 1.

Et Cilices nimbis hîc maduere ſuis.

Ex cum imbre aut nimbo compatantur.

Libro IX.

Lubrica Corycio quamuis ſint pulpita nimbo.

Nec è fiſtulis ſolùm hic imber, ſed ſcito magis inuento è ſtatuis expreſſus, velut humanus quidam ſudor. Lucanus clarè indicat:

E ſtatuis etiam fuſæ.

Vtq; ſolet pariter TOTIS *ſe effundere* SIGNIS
Corycij PRESSVRA CROCI: *ſic omnia membra*
Emiſere

Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.

Et ex theatri Marcelli configuratione conſpicuum, in mediâ & ſummâ Præcinctione ſtatuas plures fuiſſe; partim ad ornatum, partim ad hunc vſum. Eas autem ſcire licet concauas fuiſſe: & per immiſſas *fiſtulas ferreas ſiue æneas, minutis foraminibus, velut per poros & membra expreſſum hunc humorem. non ſine præſenti quidem auxilio & manu adminiſtrorum, qui in parte infernâ. Ego interrumpens, Hæc mihi mira, inquam: ſed dic tamen, oro te, clarius, quomodo crocus exprimi arida potuerit in hunc imbrem? Non enim capio. Ille concuſſo capite & ridens, Crocúſne mera aut arida? inquit. Mi iuuenis erras. Vino diluta fuit, vt Apuleius tibi præibat, ſi filum attentè ſublegiſſes eius ſermonis. Mixtum videlicet trituméque florem eum herbæ fuiſſe cum vino: quod colorem deinde adſumeret & odorem. Plinius aperit: *Crocum*, inquit, *vino mirè congruit, præcipuè dulci, tritum ad theatra replenda.* Itaque liquidum crocum Ouidius dixit:

Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

Et fluxiſſe eum per gradus, Spartianus in Hadriano: *In honorem Traiani balſama & crocum per gradus theatri fluere iuſſit.* Vbi de

*Quas fiſtulas grandes fuiſſe ſuſpicamur, & alias minores, quæ ab illis diffuſæ per membra.

Quoq. modo id fieri potuerit.

Crocus non ipſa, ſed vinum eà tinctum, ad ſparſiones.

Per gradus fluebat.

Etiam balsamum.

Balsamo item notabis, etsi minus id crebrum. At de Croco, in omnibus spectaculis protritum: etiam Scænicis. ideoque solemnes crocos Propertius agnominauit:

Pulpita solemnes non oluere crocos.

Sparsiones vnguentorum in conuiuiis, ab hoc inuēto.

Adeò vt etiam supinorum hominum deliciis è theatris in conuiuia sparsiones migrarint, & eâdem illâ arte vnguentis perfusi conuiuæ. Plutarchus de Othone narrat, dispositisse eum in triclinio variis locis ἀργυρᾶς καὶ χρυσᾶς σωλῆνας, ὥσπερ ὕδωρ τὸ μύρον ἐκχέοντας: *argenteos atque aureos canales, instar aquæ, vnguenta fundentes.* Quod item in Neronis nepotinis sumptibus Tranquillus recensuit, cap. XXXI. *Cœnationes eius laqueatæ tabulis versatilibus, eburneis, vt flores: & fistulis, vt vnguenta desuper spargerentur.* Ita enim eum locum legamus: quoniam duo ibi versatilia, & Tabulæ ad flores, & Fistulæ ad vnguenta.

Suetonius rescriptus.

CAPVT

CAPVT XVII.

Vela in theatris & Amphitheatris. Quando eorum vſus cœperit. Colorata ea fuiſſe. aliquando ſerica, aliquando & purpurea, auro diſtincta. Teſtimonia plura.

TEGMEN etiam Amphitheatri latet: quod ſuperduci ſolet, arcendo æſtui ac ſoli. Tegmen hoc è velis. Primus inuentor rei Q. Catulus: aut certè iam inuentæ, primus Romæ imitator. Valerius Maximus: *Religionem ludorum, creſcentibus opibus, mox ſecuta lautitia eſt. Eius inſtinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus ſpectantium conſeſſum velorum vmbraculis texit.* Ammianus de eâdem re, libro XIIII. *Ex turbâ verò minimæ ſortis & paupertinæ, in tabernis aliqui pernoctant atris, nonnulli velabris vmbraculorum theatralium latent. quæ Campanam imitatus laſciuiam Catulus in Ædilitate ſua ſuſpendit omnium primus.* Plinius libro XIX. de velis: *Poſteà in theatris tantùm vmbram fecêre. quod primus omniùm inuênit Q. Catulus, cum* Capitolium dedicaret. Eius ritus veſtigia in ipſis Amphitheatris, vbi Foramina in ſummis lapidibus ad funes velorum illigandos. vt in Nemauſenſi

Vela à Q. Catulo reperta.

*At Aedilitati eius id tribuit Ammianus.

illo clarè: & in ſummo hoc Romano quædam grandiora, per quæ coniicimus traiici & in altum dirigi antennas ſolitas velorum funes ſuſtinentes. At ipſæ deinde antennæ ſiue mali, per foramina ea immiſſæ & demiſſæ mutulis quibuſdam excipiebantur, firmitatis cauſsâ. Ad antennas autem ſubrectas, funes ligati & extenſi; ſuper quos, ducta vela. Teſtimonia etiam ſparſa in veterum ſcriptis. Propertius:

Et modò tam pleno fluitantia vela theatro.

Suetonius in Caio: *Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantiſsimo Sole velis, emitti quemquam vetabat.* Martialis:

Ducere vela & reducere.

Quamuis non modico caleant ſpectacula ſole,
Vela reducuntur cum venit Hermogenes.

Vitruuius præfatione lib. x. *In muneribus quæ à magiſtratibus, Forogladiatorum Scæniſque ludorum quædam dantur, quibus nec exſpectatio nec mora conceditur: vt ſunt ſedes ſpectaculorum,* VELORVMQVE INDVCTIONES. Lampridius in Commodo: *Cùm illi ſæpe pugnanti vt deo populus fauiſſet; irriſum ſe credens, populum Romanum, à militibus claſsiariis qui vela ducebant, in Amphitheatro interimi præcepit.* In quo mihi nota milites è claſſe præpoſitos huic muneri: ſcilicet quia maritimi illi, iure

iure periti tractandorum velorum. Petunt etiam quidam, apud Plutarchum in Romulo, Velabri etymon ab hoc ritu; acutè sed non verè. ἔνιοι λέγουσιν, inquit, τὴν εἰς τὸν ἱππόδρομον φέρουσαν ἐξ ἀγορᾶς πάροδον, ἱστίοις καταπεταννύναι τὰς τὴν θέαν παρέχοντας, ἐντεῦθεν ἀρχομένους· ῥωμαϊστὶ δὲ τὸ ἱστίον Βῆλον ὀνομάζουσι. id est: *Quidam aiunt viam illam quæ à foro ad Circum fert ab editoribus ludorum velis solere integi, initio à Velabris facto. Romani autem Velum appellant, quod nos Histium.* Non verè dico: quia Velabri vocem diu notam & natam antè hunc ritum (qui Catuli ævo inductus) satis clarum. Colorata variè vela ista fuisse, ad ornatum, Lucretius ostendit versibus sanè ad hanc rem luculentis:

Velabri vanum etymon.

Variegata ea vela coloribus.

Et vulgò faciunt id lutea, rufáque vela,
Et ferrugina. cum magnis intenta theatris
Per malos volgata trabesq́, trementia pẽdent.*
Namq. ibi cõsessum caueai subter, & omnem
Scænai speciem, patrum matrumq́, deorumq́,
Inficiunt, coguntq́, suo fluitare colore.

*Nota firmari, quod suprà monui de Antennis.

Et Carbasina vela Plinius libro XIX. nominat, cum auctore: **Carbasina deinde vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis. Mox Cæsar dictator totum forum Romanum intexit, viámq. sacram ab domo*

*Intellegit candicantia, & è tenuissimo lino. Nã Q. Catuli etiam è lino, sed vulgari & rudi.

ſua vſque ad cliuum Capitolinum. quod munere ipſo gladiatorio mirabilius viſum tradunt. Miratur & ſtupet in Cæſariano facto Plinius, vel quia tantum ſpatij inductum: vel quia velis tam pretioſis. Nam Serica ea fuiſſe Dio tradidit, etſi parum adfirmatè, libro XLIII. καὶ ἵνα μηδένα τῶν θεωμένων ὁ ἥλιος λυπήσῃ, ὑπεπετάσματα ὑπὲρ αὐτῶν σηρικὰ, ὥς γέ τινες φάσιν, ὑπερεπέτασε. id eſt: *Ne ue quis ſpectantium à ſole infeſtaretur, vela ſuper eos Serica, vt quidam tradunt, extendit.* Nec ſcio ſanè an Plinij libris non exciderit ea Sericorum vox. Iam Nero purpurea etiam vela ſuſpendit, ſtellis aureis variè interſtincta. Xiphilinus: τά γε μὴν παραπετάσματα τὰ διὰ τοῦ ἀέρος διαπετόμενα, ὅπως τὸν ἥλιον ἀπερύκει, ἁλυργᾶ ἦν, καὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν ἅρμα ἐλαύνων ὁ Νέρων ἐνεζίκτο, ἀστέρες δὲ χρυσοῖ πέριξ ἐπέλαμπον. id eſt: *Vela etiam quæ per aërem expanſa ad arcendum ſolem, purpurea erant. inque iis mediis Nero acu pictus, currum agitans* (videlicet inſtar Phœbi) *circùm verò vndique aurea ſtellæ.*

Dubitatio de integritate Pliniani loci.

Purpurea vela à Nerone.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Eadem Vela à Iuuenali Velaria dicta. Quid Velarij Augustæi. Vmbellæ vsum & causiæ fuisse, velis non expassis. Martialis & Vopiscus explicati. Vmbellati claui.

HÆC ipsa Vela, nisi fallor, Iuuenalis Velaria dixit illo versu, Velaria.

——*pugnas Cilicis laudabat & ictus,*
Et pegma, & pueros inde ad Velaria raptos.

Nec enim interpretes hîc audio, qui Velaria locum esse adserunt vbi vela reconduntur. Imò aliam ego lucem Iuuenali do, & ita capio: quasi laudarit & stupuerit adulator ille, quòd ludis gladiatoriis, pueri è pegmate subitò in altum occultâ quadam machinâ rapti sint, & ad Vela ipsa. Sanè recepti in Amphitheatris tales lusus, talesque raptus. Qualis etiam ille Martiali expressus, de Tauro cum Alcide in æthera rapto, populo spectante & adstupente. Iuuenalis explicatus. Raptus artificiosi & sublationes, in pegmatis.

Raptus abit MEDIA *quod ad æthera Taurus*
ARENA,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.

Lego etiam in veteri inscriptione, PRÆPOSITVS. VELARIORVM. DOMVS. AVGVSTÆ. sed alio sensu: quia Velarios ibi accipio, qui Velarij, pro hominibus.

præpo-

præpoſiti velis in aula ducendis. Ita in aliis lapidibus: VELARII. DE. DOMV. AVGVSTI. & alibi: VELARII. DOMVS. AVGVSTANÆ.

Vela ventus ſæpe negabat.

Sed redeo ad Theatrica noſtra vela. quæ moneo non ſemper extenſa: quia ſæpe id impediebat ventus. Nec mirum in tam laxo & capaci circo. Hiſpanus poëta:

Aut Pompeiano vela negata, Noto.

Quid tum igitur? inquies. ſpectabántne indefenſi à Sole? Non prorſus. duplex iis etiam tegmen, ſiue Pillei, ſiue Vmbellæ. Pillei quidem Theſſalici, vt ſuprà ex Dione rettuli. quem eumdem ego cenſeo cum Macedonico, ſiue Cauſiâ: inductus à Martiale, qui inter Apophoreta Lemma habet, *Cauſiam*: (malè enim in pleriſque libris, *Gauſapa*.) & accommodat ad hunc theatralem ritum:

Tunc Vmbella ſuccedebat, aut Pileus.

Martialis illuſtratus & correctus.

In Pompeiano tectus ſpectabo theatro:
Nam populo ventus vela negare ſolet.

Significat diſertè, vſurum ſe tegmine Cauſiæ contrà ſolem, ſi ventus inuidiſſet vela. Ad eumdem vſum refero Pilleos in theatris ab Editoribus interdum datos, ſiue birros. Vopiſcus in Carino, vbi Iunium Meſſallam eiuſque effuſionem in ludis acerbè taxat: *Donati ſunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canuſini.* At

Pillei quâ fine dati.

ſini. At de Vmbellâ, Martialis idem: Vmbellæ.

Accipe quæ nimios vincant vmbracula ſoles.
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Quam à faciendâ vmbrâ dictam ſcito, nec aliud tegmen quàm quo hodie in Italiâ paſſim ſuprà caput ſuſpenſo vtuntur, per viam & in æſtu. E lino formant, inſtar obtuſæ & breuioris metæ, quod orbiculatâ virgâ extenſum, baculo ſuſtinent ſuprà caput erectum. Iuuenalis de eâdem: Earum forma.

En cui tu viridem vmbellam, cui ſuccina mittas.*

*Colorabant enim, vt puto, pro fauore cuiuſque in hanc illámue Circi factionem: Praſinam, venetam, &c.

Et Vmbellati claui apud priſcos Architectos, qui capite paulatim inſtar turbinis latiorę: itemq. Vmbellati flores Fœniculi, Aniſi, Sambuci apud hortenſes ſcriptores. Denique vmbella, quod ὀκιάδιον Græcis.

CAPVT XIX.

Per occaſionem, de pilleo quæſitum. fuerintne eo vſi Romani? Non videri: imò nec Gallos aut Germanos. Certa tamen tempora fuiſſe, quibus permiſſum tegmen: certos item homines. Nodi plerique omnes in eâ re, & ſcriptores explicati.

DESIERAT Florentius, & iam ſurgebat. ſed ego iniectâ blandè manu, Viam mihi

aperis eius sermonis, inquam, in quem deferri diu mihi votum. Itaque, per tuam fidem, qui tam multa hodie me docuisti, hoc quoque velut ἐπίμετρον admetire, de Romanorum capite tecto siue intecto. Nam cauſiam iis tribuis aut pilleum: ſed tantùm per ludos. quid ergo cenſeam? reliquo eos tempore fuiſſe intectos? ægrè id crediderim, in moribus noſtris tam aduerſis. Florentius renidens, A viâ in ſemitam me abducis, inquit. quam tamen, quoniam valdè velle te video, percurram pede leui. Caput apertum & ſine tegmine habere, non Romanis ſolùm olim; ſed quod magis mirêre, etiam Græcis veteribus, & fortaſſe Germanis, Galliſque nobis commune. De Græcis: ecce apud Homerum non cauſiæ non pillei vſquàm mentio. nec celat nos eius interpres, quin ſilentium id ab hoc ritu. At de Germanis, inducit me facilè Tacitus: qui cirros eorum nodoſq. commemorat, tegmina nuſquam. imò de Sueuis, clarè ſatis oſtendit pugnaſſe eos etiam capite aperto, crinibus religatis in altitudinem quandam & terrorem. Et comatos noſtros Gallos, quídni credam eâ parte intectos? Ni fuiſſent, & pleræq. imo Europæ gentes: non pilleum apud Parthos demum Martialis, vt nouum, quæſiſſet:

Pleræque olim gentes capite nudo.

Græci.

Germani.

Galli.

Fruſtrà

Frustrà blanditia venitis ad me:
Ad Parthos procul ite pilleatos.

Parthi tamē pilleati: & quod alibi legisse ieio, Daci.

Sed de Romanis ipsis, securius pronuntiem: quia signa mihi in illis & argumenta plura. Primùm, nummi omnes veteres statuæque (in quibus cultus scilicet & habitus priscus) sine tegmine semper. Scriptores item prisci, pilleum aut petasum abstinere videntur à vulgo. Quò facit valdè Suetonij locus: qui Iulium Cæsarem ex omnibus decretis sibi honoribus, non alium libentius aut crebrius vsurpasse ait, quàm ius laureæ coronæ perpetuò gestandæ. idq. ad caluitium celandum. Obsecro vt quid, si pilleus aut petasus illis? qui certè aptior & fidelior ad dissimulandum caluitium, quàm corona. Quinctiliani item Oratoris sui descriptio. in quo cum vestium omnium singillatim meminerit, vsque ad calceos: in capite tamen format & fingit solum capillum. Sed vol-sellis te pungo: ecce telum. Eustathius Homeri interpres disertim scribit τὸ τὰς Κεφαλὰς ἀναψαλύπτους ἔχειν, ad Romanos transisse à priscis Græcis. Cui auctoritati quid opponas? Tamen fateor Tempora quædam & Homines spectandos, quibus ius & vsus tegendi. Tempora quinque: Sacra, Ludi, Saturnalia, Pere-

Argumenta quibus pilleum spernimus à Romanis.

Excipiuntur tẽpora quædam.

grinatio, Militia. Nam Romanos dum sacrificabant, capite scimus fuisse velato, idq. prisco quodam & obuio ritu. Idem in Ludis fuisse, docui iamantè. Etiam Saturnalibus, per quos liberrimæ vitæ dies pilleus admissus, signum scilicet libertatis. Martialis: *Permittis puto pilleata Roma.* Idem:

Sacrorum.

Ludorum.

Saturnal. ũ.

Dumq; decent nostrum pillea sumpta Jouem.

Sed & peregrinatio quoque petasum bono iure sibi sumpsit, contrà pluuias, æstus, ventos. Plautus vbique addocet, qui peregrè euntibus aut venientibus * petasum aptat. Cicero item alibi in Epistolis, describẽs tabellarios iturientes, *Petasatos eos venire*, ait, *& comites exspectare ad portam.* Nec alîus mentis illud Suetonij de Augusto: *Solis ne hiberni quidem patiens, domi quoque non nisi petasatus sub diuo spatiabatur.* Ait, domi quoque. quasi nouum illud & insolens innuens, quod alibi quàm per viam. Denique militiæ pilleos non adimo, inhibitus à Vegetio: *Usque ad præsentem*, inquit, *ætatem consuetudo permansit, vt omnes milites pilleis quos Pannonicos vocant ex pellibus vterentur.* Nam aliâs, exempla etiam in militibus pilleorum rara. Iam Homines etiam certi, vt dixi, quorum vertex immùnis à communi more.

Peregrinationis.

*Qui distinctus tamen à Pileo. quod ille ad vmbram faciendam marginatus, vt nostri galeri (forma enim in Mercurij statuis) hic nõ item, sed quales dormitorij aut nautici pilei.

Militiæ.

Excipiuntur & Homines.

more. Primùm Liberti. quos in pilleis fuisse, nouâ libertate, notius & testatius est quàm vt hîc dicam. Addo Ægros. quibus hoc quoque licuit, capiti firmando. Ouidius indicat, qui Amanti suo præit ad morbum & pallorem fingendum, & pilleolum tribuit inter signa:

Liberti noui.

Aegri.

Arguat & macies animum. nec turpe putaris
Pilleolum nitidis imposuisse comis.

Artemidorus etiam, qui de Somniis scripsit non somniculosè. Nam libro primo argutè obseruat, ἔρια ἀντὶ τριχῶν ἔχειν, νόσους μακρὰς καὶ φθῖσιν σημαίνειν: *lanam pro capillis habere, longos morbos & tabem significare*: nimirum quia pilleoli isti è lanâ. Sed & Græcis πιλίδιον receptum in morbo. Plato III. de Repub. ἐὰν δέ τις αὐτῷ μαχαίραν δίαιταν σκληράν, πιλίδια τε περὶ τὴν κεφαλὴν περιθεὶς. Sed & Senibus pilleum tribuerunt, à pari caussâ. Varronis fragmentum adsignificat, è libro I. de Vita populi Romani: **Minores natu*, inquit, *capite aperto erant, capillo pexo, vtique innexis crinibus.* Et Nicephorus Gregoras ostendit eum morem cum Romano imperio Byzantium etiam translatum, libro X. in extremo: *De capitis tegmine*, ait, *moris apud superiores Principes erat, vt ætate prouectiores aulici pilleis turbinatis vterentur, se-*

Etiam apud Græcos.

Senes.

*Aliud ergo in maioribus fuisse videtur.

rico tectis: iuniores autem omnes prorsus nudis essent capitibus. Andronico autem Imperatore, is mos adeò exoleuit, vt passim omnes & seniores & iuniores pilleis vterentur, non minus in palatio quàm in agris: iisque variis & peregrinis. Sed tamen permissum hoc potius senibus credo, quàm crebrò vsurpatum. Romæ quidem, nam vbi exempla? Et contrà Varronis verba, nonnihil etiam inuenire possim, quod probabiliter obstringillem. Quartum denique genus cum pilleis, sed malè certis aut firmis. Conuiuæ enim fuisse videntur pilleati. Horatius suspicionem clarè facit:

Conuiuæ.

Vt vinosa glomos furtiuæ Pyrrhia lanæ,
Vt cum pilleolo soleas conuiua tribulis.

Nam habitum conuiualem adtribuere illi nescio cui videtur, Soleas & Pilleum. Itaq. vetus ibi interpres: *Néue sic suffarcinatus eas, vt vnus de tribu, qui ad cœnam vadens, ipse sibi soleas fert cum pilleolo.* Et paulò pòst: *Hæc erat consuetudo* veteranorum, pilleum portare cum calceis.* Quibus verbis quid sani subsit, haud sanè video. Et ambigo in toto hoc ritu. Primùm, quia in tam crebra conuiuiorum mentione pilleos non alibi inuenio. Secundò, quia inepti iidem, me iudice, conuiuantibus, ob vir-

* An, veteratorum?

Sed ambigua res.

guenta,

guenta, ob coronas. Illud credo magis, pilleorum vsum in balneis fuisse: à quibus cum exirent, eosdem aliquando retinuisse etiam in mensâ. Certè lapis antiquus Patauij est, vbi conuiuij aliqua forma. & qui accumbunt, partim capite nudo, partim velut pilleolo aut fasciâ deuincti. Sed hem! quod me pænè fugerat, Athenæi locus est, qui nescio an * stabilitor & stator pilleo conuiuali. Nam loquitur apud eum libro VI. Larensius dilaudans suos Romanos: ἐσθῆτας δὲ ἔχομεν καὶ ὑποδέσεις ἀτελεῖς, πίλους τε ταῖς κεφαλαῖς περικείμεθα τραγικῶν δερμάτων διατεῖς. id est: *Vestes etiam habemus & calceatus frugi ac simplices, & pilleos capitibus circumponimus ex ouium pellibus densos ac villosos.* Nec est sanè vt pilleos illos aliter accipiamus, quàm aut de mensalibus (in conuiuio enim hæc dicta) aut peregrinantibus. Quod postremum ipse Larensius firmare videtur, qui præmisit, *Romanos nihil superflui in vestitu habere,* ὅτε ἀπερχόμενοι: id est, vt ego interpretor, *nec peregrinantes quidem, aut alio abeuntes.*

* Sicut & Saturnaliorum pilleus, manisse videri possit à conuiuali ritu: non aliter quàm Synthesis.

CAPVT

CAPVT XX.

Obiectio pro pilleo: eáque remota. Quis mos Romanus in capite aperiendo, & operiendo. Plutarchus explicatus. Palliolum ad caput tegendum: eáque in re Seneca, Petronius, Plautus illustrati nouiter.

AT me, Lipsi, sermonis iam seriò tædet, & sessionis. Abeo. Imò ego te teneo, inquam: & nodum iniicio, quem prius necessum est soluas. Romanos adfirmas capite intecto: & in parte mihi persuades. Sed de honore tamen quomodo expedis? quomodo caput digniori alicui aperuerunt, si id semper apertum? Nam Sallustius ecce scribit: *Sullam in victoriâ Dictatorem, equo descendere Pompeio vni, adsurgere de sellâ,* CAPVT APERIRE *solitum.* Et nequid de militiâ hîc cauillere; audi Senecam, qui recenset vt vulgatissimum morem. *Si Consulem videro aut Prætorem, omnia quibus honor solet haberi faciam: equo desiliam,* CAPVT APERIAM. Risit secundùm ista Florentius, Et heu Gordium nodum! inquit. vbi Tenedia securis? Non vides etiam in illis Senecæ verbis effugium, de militiâ aut peregrinatione? Nam desultum etiam ex equo addit. equi autem

Caput aperuisse, in honore habendo, Romanos.

vsus

vſus infrequens aut nullus in vrbe. Sed tamen confide. non vtar his effugiis: veram ſoluendi viam inſiſtam, ſine diuerticulo vllo aut flexu. Quam præit mihi clarè Plutarchus, in Cauſſis. clarè quidem vt verba Græca ſunt: nam interpres rem totam inuoluit caliginoſâ & delutâ verſione. Ait: *οἱ ῥωμαῖοι τὴν ἀνθρώπων τοῖς ἀξίοις τιμῆς ἀπαντῶντες, κἂν τύχωσιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἔχοντες, ἀποκαλύπτονται.* id eſt: *Romani, ſicui obuiam facti ſunt, cui honor habendus, & ſi fortè caput veſte iniectâ tectum habeant, id reuelant.* En capitis omnis tectio: en apertio, quæ Romæ. Laciniam togæ inquam (ea enim Plutarchi vera mens) in caput ſæpe reiiciebant, contrà ventum aut æſtum: eamque detrahebant in honorati alicuius occurſu. Plutarchus idem eum habitum expreſſit in Gracchis, de Naſicâ: *τὸ κράσπεδον ἱματίου ἐμβαλὼν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς*: *Laciniam togæ reiiciens in caput.* Et paſſim nummi & marmora præferunt, quoties repræſentant ſacrificantes. Atque hæc vulgata tectio, & ſine notâ. aliam etiam eruo, quæ delicatorum aut imbecillium propria, quæque ſæpe cum ſuſpicione luxus. Ea erat, vt capite incederent palliolato. Seneca de ingenioſo noſtro, ſed enerui Muſarum patre: Mæcenatem

Quomodo id factum.

Plutarchus paulò conſideratius, quàm ab interprete, verſus.

Laciniâ togæ caput tectum.

Interdum palliolo, ſed ab ægris aut delicatis.

dico. *Hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, vt pallio velaretur caput, excluſis vtrimque auribus, non aliter quàm in mimo* Diuite fugitiui ſolent.* Plutarchus ſuperbiam Pompeiani liberti, Demetrij, taxans: *Domino ſtante ipſus*, inquit, *accumbebat ἔχων δι' ὤτων καὶ τ κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον.* Qui locus benè allucet illi Senecæ. ſicut & huic Petronij deſcribētis accubitum molliſſimi omnium Malcionum: *Pallio*, inquit, *coccino adraſum incluſerat caput.* Et Plauti verſum auſim illuc trahere, à paucis propriè intellectum:

*Vide ſi lubet Epiſtol. Quæſt. lib. III. epiſt. XXIII. ſuper hoc loco.

Petronio lux.

Et Plauto.

Tum iſti Græci palliati, capite operto, qui ambulant.

Scænicè enim tangit delicatos & molles iſtos, quod etiam aliâs ſolet per occaſionem. Sed dixi quoque ægros eo vſos: haud dubiè cum iuſtiori iam excuſatione. Nec de* alio palliolo capies illa Suetonij, Claudio cap. II. *Ob valetudinem, gladiatorio munere, nouo more, palliolatus præſedit.* Hoc Quinctiliani: *Palliolum, ſicut faſcias & focalia, ſola excuſare poteſt valetudo.* Item Senecæ: *Videbis quoſdam graciles, & palliolo focalique circumdatos, pallentes & ægros.*

*Vt ſi paullò aliter ego cepi, in I. Saturnal. meorū, cap. XIII. Nunc nuto, & pænè muto.

CAPVT

CAPVT XXI.

Spoliarij vbi locus fuerit. Gladiatorum cadauera vnco tracta. Victor illustratus. De gradibus qui intrà porticus.

ET satin' vt exsolui hunc nodum? certè me. iamque abeo & surgo bonâ fide. Simul descendit. ego consecutus sum, & ad portam cum veniissemus quæ ducit ad Forum, Heus tu, inquam: Spoliarium nónne etiam in Amphitheatris? vbi illud? Florentius, Non in ipsis, inquit, sed iuxtà ipsa. Et censeo è regione ad alteram illam portam fuisse; quæ, nisi fallor, Libitinensis. Nam Spoliarium, quod receptaculum mortuorum aut grauiter in Arenâ læsorum, iure constituam iuxtà mortualem istam portam. Enimuerò solent gladiatores occisi turpiter vnco per Arenam trahi in Spoliarium. Docent adclamationes illæ Senatus, quæ apud Lampridium in Commodo: *Gladiatoris cadauer vnco trahatur: gladiatoris cadauer in spoliario ponatur.* Et hoc idem censeo Victorem significare, in Domitiano, cum scribit: *At Senatus gladiatoris more funus ferri, radendúmque nomen decreuit.* Iamque ad Porticus veneramus, ad quas substitit, Vidésne hos gradus? inquiens.

Spoliarium probabiliter ad portam Libitinẽsem

Gladiatores tracti.

Quid sit Funus gladiatorium.

Gradus interiores, per quos ad spectacula adscenditur.

quiens. Paulum etiam ascende: videbis alios, ita flexos & dispositos aptè, vt quantumuis conferta multitudo statim egredi & ingredi ordinatè & sine conflictu potuerit. Ordines hi graduum siue scalarum, vt vides, miro artificio pænè inuicem decussantur: & ad ostiola sua siue Vomitoria singuli ducunt. Iam columnæ istæ, iam coronæ, epistylia, zophori; &, vno verbo, omnia exteriora huius operis; admiranda nostro sæculo non imitanda. Sed hæc videlicet potentia Romana, hæ olim opes: quas etiam docti plerique capiunt dumtaxat & vident per nubem.

Incredenda imperitis potentia Romana.

CAPVT XXII.

De pegmatis accuratè dictum. Latinis, Confixa. Apuleius explicatus nouè. Pegmata libraria in Cicerone. Theatrica qua forma, & cui vsui. Mira in iis & stupenda. Varij ad hanc rem scriptores aduocati, & cum luce dimissi.

EGRESSI iam eramus, & viam rectam institimus ad Forum. Atque ego, Hoc vnum etiam Florenti, inquam. vbi Pegmata hîc? aut quid sibi voluit poëta eo verbo? Nam ruminor

ruminor Martialis eccillos versus, quos adduxti:

Hìc vbi sidereus propius videt astra colossus
*Et crescunt mediâ Pegmata celsa*viâ.*

*Ponit clarè in viâ, & credo illinc in theatra, siue Amphitheatra, duci solita, ne locũ aliter fructuà occuparent.

Florentius, Properare tibi melius sit, adolescens, inquit. Nam, vt diei tempus est, ad aulam tuam venies vacuis iam aulis. cæna inquam tibi comesa erit. Sic fiet, inquam: tu modò aures mihi farci, vt cum Varrone dicam, scholicâ istâ dape: quâ explear numquam. Age, inquit Florentius: sed vt sine iacturâ tuâ sit, inter eundum. Pegmata antiqui appellarunt machinas quasdam è ligno, quibus vsus in theatris aut Arenis. vox Græcâ origine est, ἀπὸ τοῦ πήγνυμι, quod est Figo, Gelo, Compingo. Itaque Glossæ priscæ πήγμα interpretantur *Confixum. & doctè Apuleius *confixilem machinam* dixit, allusione ad vim ipsam verbi. De Pegmatis enim ego interpretor, quæ lib. IIII. scribit in apparatu muneris: *Confixilis machina sublica. turres tabularum nexibus, instar circumferaneæ domus, * floridæ picturæ: decora futuræ venationis receptacula.* Pegma paulò aliter, pro loculamentis pluteisque librariis Cicero dixisse videtur lib. IIII. ad Att. epistola VIII. *Nihil venustius quàm illa tua pegmata. postquam misisti, libros illustrarunt valdè.* At nostrum

Pegma, vnde dictum.

*Dubites an non Lucillij iocus apud Cicer. II. De orat. huc spectauerit, *Quid Decius Nucula, An confixum vis faceretinquit.* vbi & obicænitas subesse videtur.

*Picta enim Pegmata, infrà ex Claudiano.

In bibliothecis pegmata.

ſtrum iſtud, non aliud quàm grandis quædam & ingenioſa contabulatio, quæ ſponte & occultè ſtatim creſceret, ſtatim ſubſidêret. ideoq. compacta raris quibuſdam tabulis & ſublicis. Prudentius:

Qualia hæc theatrica.

Tabulis ſupernè ſtrata texunt pulpita
Rimoſa, rari pegmatis compagibus.

Quæ ornatus cauſsâ, tecta ſæpe argento, vel auro ſed tenui. Martialis:

E tabulis ratis & interlucentibus, ad laxâda & comprimenda.

Hac fuerat nuper nebulâ tibi pegma peruncta.

Etſi Caius Princeps, vt Plinij verba ſunt, *in Circum* (ita lego) *pegma duxit, in quo fuere argenti pondo centum vigintiquattuor.* In his Pegmatis varia inuenta & ſtupendi luſus ingeniorum. de quibus Auguſtinum loqui ſentio libro XXII. De ciuitat. cap. XXIV. *Ad quàm ſtupenda opera induſtria humana peruênit? quæ in theatris mirabilia ſpectantibus, audientibus incredibilia, facienda & exhibenda molita eſt?* Nam ait, in Theatris. Seneca pleraq. ea omnia conatus eſt exprimere, Epiſtola, XCI. *His licet annumeres*, inquit, *machinatores, qui Pegmata ex ſe ſurgentia excogitant, & tabulata tacitè in ſublime creſcentia, & alias ex inopinato varietates: aut dehiſcentibus, quæ cohærebant; aut quæ diſtabant, ſua ſponte cohærentibus: aut iis quæ emine-*

Argento tecta.

Auguſtini ad pegmata non dubia alluſio.

Graphica eorum deformatio ap Senecâ.

eminebant, paulatim in se residentibus. Crescebant, ait, in sublime. Ideò Martialis, Crescebant subitò.

Et crescunt media pegmata celsa via.

Subsidebant eadem: & rectè Claudianus: Desidebant.

Mobile ponderibus descendit pegma reductis.

Quin interdum chasmate & ruinâ subitâ dehiscebant: siue tota pegmata, siue homines qui impositi. De machinâ ipsâ, Apuleius indicat lib. x. *Jamque tota suaue fragrante cauea, montem illum ligneum terræ vorago decerpit.* siue, vt liber scriptus, **decepit*: bene & propriè. De hominibus, Petronius: *Non taces*, inquit, *gladiator obscæne, quem de* RVINA *Arena dimisit? Non taces nocturne percussor, qui ne tum quidem cum fortiter faceres, cum pura muliere pugnasti?* Significat enim apertè, fugitiuum illum in Arenam damnatum & cum fœdâ muliere aliquâ (non dissimili schemate, quo asinus Apuleius) commissum, ruinâ Pegmatis præter spem euasisse. Et clarè iterum: *Ergo me non* RVINA *terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare? Aufugi iudicium, Arenæ imposui, hospitem occîdi, vt inter audaciæ nomina, mendicus exsul in diuersorio Græcæ vrbis iacerem.* Et solent interdum ita componere pegma & hanc ruinam; Ruinâ absorbebantur. Apuleius correctus. *Nisi mauis, *recepit*. Homines item, qui impositi. Petronio lucem damus.

ruinam; vt ij qui impoſiti, præcipites ruerent in caueas ferarum: ibiq. diſcerperentur. Strabo eleganter de Siculo quodam latrone qui Ætnæ filius audiebat: τοῦτον, inquit, ἐν τῇ ἀγορᾷ, μονομάχων ἀγῶνος σωεσῶτος, εἴδομεν διασπαθέντα ὑπὸ θηρίων. ἐπὶ πήγματος γάρ τινος ὑψηλοῦ τεθεῖς ὡς ἂν ἐπὶ τῆς αἴτνης, διαλυθέντος αἰφνιδίως καὶ συμπεσόντος, κατωλίσθη καὶ αὐτὸς εἰς γαλεάγρας θηρίων διαλύτους ἐπίτηδες παρεσκευασμένας ὑπὸ τὸ πήγμα. id eſt: *Eum nos in foro, per ludos gladiatorios, diſcerpi à feris vidimus. In ſublimi enim tabulato, tanquam in* Ætna, poſitus, eóque compagibus ſolutis ſubito concidente, ipſe quoque cecidit in caueas ferarum quæ facilè exſoluerentur, infrà tabulatum de induſtria diſpoſitas.* Sed & flammarum quidam luſus & imago in hoc Pegmate: ſine vllâ eius plerumque noxâ. Claudianus:

Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis.
Inq; chori ſpeciem ſpargentes ardua flammas
Scena rotet. varios effingat Mulciber orbes.
Per tabulas impune vagus: pictaq; citato*
Ludant igne trabes: & non permiſſa morari
Fida per innocuas errent incendia turres.*

Homines in ſubiectas feras præcipitati.

*Forma ſcilicet montis lignei, vt in Apuleio.

Flammarum luſus in pegmate.

*Adde Apuleij locum ſuprà: *Floride pictura.* Pingi enim hæc pegmata ſolent.

*Etiam Apuleius ſuprà nominat.

Vopiſcus in Carino: *Pegma prætereà, cuius flammis*

flammis scæna conflagrauit: quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit. Duces etiam captiuos & opida in Pegmatis solere ostendi, Iosephus adnotat libro VII. Iudaïci excidij: sed non hæc Theatrica intellegens, verùm Fercula quæ portari solita per triumphum. Verba eius: θαῦμα δὲ ἐν τοῖς μάλιστα παρεῖχεν, ἡ τῶν φερομένων πηγμάτων κατασκευή. καὶ γὰρ διὰ μέγεθος ἦν δεῖσαι τῷ βεβαίῳ τῆς φορᾶς ἅπαν ἀπιστήσαντα. τελώρφα γὰρ αὐτῶν καὶ τετρώρφα πολλὰ πεποίητο. id est: *Maximam autem admirationem præbuit apparatus Pegmatum, quæ ferebantur. Nam ob magnitudinem eorum, iure metuere licebat, & diffidere omnino viribus portantium. quippe quædam triplici tabulato adsurgebant, quædam & quadruplici.* Statimque addit: τέτακτο δὲ ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πηγμάτων, ὁ τῆς ἁλισκομένης πόλεως στρατηγὸς, ὃν τρόπον ἐλήφθη. id est: *Collocatus autem in quoque pegmate erat captæ ciuitatis dux, eo modo quo captus.* Magis propriè ad hæc nostra pertinent Suetonij * loci duo, alter in Caio, cap. XXVI. Claudio alter, cap. XXXIIII. quos vide. Ambigo an & Aristoteles ad Alexandrum, ad has machinas non adspexerit: ὥσπερ ὁρῶσιν οἱ μηχανότεχνοι, διὰ μιᾶς ὀργάνου χασηείας, πολλὰς καὶ ποικίλας

Captiui duces in pegmatis.

Quæ tamen diuersa paullò ab istis.

*De quibus non repeto mihi scripta II. Saturn. cap. XIV.

ἐνεργείας ἀποτελοῦντες. Certè* Apuleius, dum verba eâ vertit: *Machinatores fabricarum, astutiâ vnius conuersionis, multa & varia pariter administrant.* Parapegmata etiam nominata Vitruuio inuenies, pro instrumentis astrologorum: & in Laërtio scriptum, Democritum scripsisse Astronomica parapegmata. Inter hos sermones, ventum iterum ad Pantheon. ille ad sinistram, ego ad dextram, vale dicto, defleximus.

*Qui autem illum libellũ vertit verbatim pænè.

Parapegmata.

FINIS.

ERRATA VEL OMISSA.

Pag. 16. de rasâ arenâ Ouidij, possit Epitheti & hæc caussa adferri, quòd superficies tota arenæ æquabilis & velut rasa.

Pag. 55. hæc verba, *Formam ex ære hîc vides.* discriminari aliâ litterâ à reliquo textu & secerni debebant: quia non Dialogi pars, sed seorsum apposita ad indicium de subiectâ Graduum formâ.

Pag. 65. *lin.* 15. *in Murenam.* Scribe, *Menam.*

INDEX

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

Dialogi occasio. Florentij Laus. Vrbs diruta, non diruta: & splendida eius ruina.

CAP. II. *Ad Amphitheatri descriptionem aggressio. Primò de nominibus eius quæsitum. Cur Amphitheatrum dictum, & cur Cauea.*

CAP. III. *Arena nomine dictum eumdem locum: ideò quia sterni arenâ solitus. Cuius generis ea stratura? quàm varia? Plinius & Ouidius explicati. Arenarij. Tertullianus emendatus, & declaratus.*

CAP. IV. *Ex occasione, de diis quibus Amphitheatrum sacratur. Diana in primis. Ioui Latiari, siue Diti. item Saturno. Ara Iouis in Arenâ. Mactatio ad eam stata vnius è bestiariis. Tertulliano ac Minutio lux.*

CAP. V. *Quando prima Amphitheatra cœpêre. videri serò irrepsisse: idque statim post Venationem. Sed lignea primò fuisse. mox è lapide, Statilij Tauri. Augustum deditum Venationibus. Dio correctus. Antiquariorum error in loco Tauriani Amphitheatri.*

CAP. VI. *Tauri Amphitheatrum exustum, & reparatum. Aliud maius à Vespasiano structum. vrbe veteri mediâ. Suetonius correctus. Fortasse & Victor. Titus dedicauit id opus. posteà collapsum, & sæpe instauratũ.*

CAP. VII. *Communis Amphitheatri Titiani forma. Altitudo, & capacitas eius. Laus & præconia. Denique vbi situm. Martialis explicatus.*

CAP. VIII. *Ingressio in particularem Amphitheatri descriptionẽ. Primùm de forma eius: qua qualis ostensa. Calpurnius & Dio explicati. De solo Arenæ: in quo cloacæ siue specus. & cui rei? Item de portulis.*

CAP. IX. *De Specubus subterraneis, amplius. item de Caueis in Amphitheatris. Liuij defectus aut expletus, aut sententia erupta. Porta in caueis, & Plauto lux. Emissio ferarum, & immissio.*

CAP. X. *Aliter atque aliter solere ornari hanc Arenam. in modum siluæ, in modum maris. Antra pro caueis: interdum Naues. Vopiscus, Apuleius, Calpurnius emendati.*

CAP. XI. *De muro qui Arenam cingit. de Podio quod super eum. eius forma. Dignissimum eum locum ad spectandum, Senatui adtributum, imò magistratibus. Aptum ad curules sellas. Principis ibi Suggestus, Tribunal prætoris: & Vestalium sedes.*

CAP. XII. *Quod tutamen infimo illo podio fuerit à feris. Retia solere prætendi, benè nexa, benè firma. Versatilia item quædam ligna: Cancellos ferreos & Euripos. Sudatum in Calpurnij versibus.*

CAP. XIII. *Gradus, & eorum forma. Diuisi accuratè in suas partes. Puluilli in iis. Præcinctiones. Aditus. Via. Cuneï. Cathedræ. Porticus. Vitruuius, Tertullianus, Martialis, Calpurnius, varij scriptores variè emendati aut illustrati.*

CAP. XIIII. *De ordine & locis in sedendo. Quando discrimen id factum. De orchestra. de equestribus: & Tribunos quosdam nouos fuisse inter Equites. De popularibus. déque loco pullatorum & Faminarum.*

CAP. XV. *Confusa aliquando locorum series: eáque occupata. Aes pro Locis. Plautus explicatus, & Suetonius, & Martialis. Dissignatores, eorum munus. Excubare. Tribuni voluptatum.*

CAP. XVI. *Tubi occulti in Amphitheatris ad Sparsiones. Eas è croco diluto fuisse. Apuleius emendatus. Videri eumdem liquorem è statuis emissum. Pluria ad hanc rem exempla.*

CAP. XVII. *Vela in Theatris & Amphitheatris. Quando eorum vsus cœperit. Colorata ea fuisse. aliquando & purpurea, auro distincta. Testimonia plura.*

CAP. XVIII. *Eadem Vela à Iuuenali Velaria dicta. Quid Velarij Augustei. Vmbella vsum & causia fuisse, velis non expassis. Martialis & Vopiscus explicati. Vmbellati claui.*

CAP. XIX. *Per occasionem, de pilleo quæsitum. fuerintne eo vsi Romani? Non videri: imò nec Gallos aut Germanos. Certa tamen tempora fuisse, quibus permissum tegmen: certos item homines. Nodi plerique omnes in eà re, & scriptores explicati.*

CAP. XX. *Obiectio pro pilleo: eáque remota. Quis mos Romanus in capite aperiendo, & operiendo. Plutarchus explicatus. Palliolum ad caput tegendum: eáque in re Seneca, Petronius, Plautus, illustrati nouiter.*

CAP. XXI. *Spoliarij vbi locus fuerit. Gladiatorum cadauera vnco tracta. Victor illustratus. De gradibus qui intra porticus.*

CAP. XXII. *De pegmatis accuratè dictum. Latinis, Confixa. Apuleius explicatus nouè. Pegmata libraria in Cicerone. Theatrica quâ formâ, & cui vsui. Mira in iis & stupenda. Varij ad hanc rem scriptores aduocati, & cum luce dimissi.*

FINIS.

PRIVILEGII CÆSAREI
SVMMA.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris semper Augusti, publico edicto cautum & sancitum est, ne quis cuiuscunque status, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacunque sacri Romani Imperij, & ditionis eius fines patent, quæcunque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impressa, vel ab aliis quidem impressa, nouis autem deinceps scholiis, annotationibus aut commentariis aucta & illustrata, Christophorus Plantinus ciuis & typographus Antuerpiensis primus typis procuderit, intra proximum sexennium à prima cuiusque operis aut voluminis editione, vllo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab aliis, intra eiusdem Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrahat manifestè vel occultè, sub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco Imperiali fraudis vindici, residua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impressorum amissionem, quos idem Plantinus vbicunque locorum nactus fuerit, per se, vel suos, adiumento Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vindicare, inque suam potestatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipsi Edicto manu subscripsit, & sigillum apponi iussit Cæsarea Maiestas. Datum in ciuitate Viennæ Austriæ, die vigesima prima mensis Februarij, anno Domini M. D. LXV.

Subsig.

Maximilianus.

Ad mandatum sacræ
Cæs. M. proprium

Haller.

PRIVILEGIVM GALLIARVM REGIS.

CAVTVM HENRICI III. Galliarum Regis Priuilegio, ne quis in omni eius regno libros totos, aut in parte, quoscunque Christophorus Plantinus aut nouos excuderit, aut veteres, sed correctos siue illustratos, aut adnotatos, eosce iterum excudat, excudi faciat, aut excusos vendat. idque intra sexennium à cuiusque libri editione. Id autem hoc fine, vt ne idem Plantinus, laborum suorum, sumptuumque meritissimo fructu priuetur, cogaturque tandem intermittere aut omittere laudabile suum munus, cum detrimento reipub. litterariæ, & doctorum. Qui contrà fecerit, sciat paratam librorum confiscationem, aliasque pœnas siue mulctas, quæ Regiis Edictis continentur. Cum lege tamen, ne iidem libri quicquam contineant, quod vel Religioni Catholicæ Apostolicæ Romanæ, vel huius Regni Statui aduersetur. Atque huius Edicti exemplar cuiu fronti aut calci cuiusque operis apponetur, nullus typographorum siue bibliopolarum vllam ignorantiæ caussam prætexat. Datum Fontibellaquæ, quinta Augusti. M. D. LXXXII.

Signat.

Per Regem

De Neufuille.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE